Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Heinrich Lemke

# Vindicatio Incarnati Veri Messiae Promissi : Ex Thalmud & Rabbinorum scriptis desumpta, & contra refractarios pervicacesq[ue] Judaeos directa ...

Rostochi[i]: Kilius, 1666

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X**

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN




1. Henr: Lemmichij
Vindicatio incarnati
veri Messiæ promissi.
Rostochij 1666, 8.

2. Zytopoei Joh.
Vita und Testament
Jesu Christi. Gedruckt
zu Dortmund 1664. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0002
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0003
DFG

Fg - 5018

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0004
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73040398X/phys_0005
DFG

# VINDICATIO INCARNATI VERI MESSIÆ PROMISSI

Ex

Thalmud & Rabbinorum scriptis desumpta, & contra refractarios pervicacesq; Judæos directa, quæ sibi adjunctas habet nonnullarum Theologico-Politicarum Quæstiones, de quibus in Christianorum Reb. publicis disceptatur, enodationes.

Cui

Annexa est Dissertatio Lutherano-Catholica, de Nomine CATHOLICO Lutheranis attribuendo, Pontificiis auferendo, elaborata

A

M. HENRICO LEMMICHIO Lubecens. Bergis Norwegicis, Ecclesiæ Teutonicæ. ad D. Mart. Pastore.

ROSTOCHI.
TYPIS JOHANNIS KILII,
Acad. Typogr. M. DC. LXVI.

47

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0007
DFG







1933. XIII. 33.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn73040398X/phys_0008
DFG

# Lectori in timoribus DOMINI, Salutem.

*A Secundi Templi Hierosolymitani conflagratione omnimodâ, huc usq; Judæi undiquaq; dispersi, sparsim Regna incoluere Christianorum propè omnia. Et quò longius à priscis abierunt seculis, Jesum verum Messiam blasphemare vehementius cœperunt, & partius ad Christum se trahi passi sunt. Qui ex Regibus Christianorum, haud lenibus posse curari hunc morbum medicamentis putarunt, isti vi negotium reformationis tentarunt. Undè & istud Hæreticæ pravitatis per Hispaniam inventum, authorem habet Ferdinan-*

dum, Regem Arragoniæ, Caroli V. Avum mater-num, (ideò primitùs Catholicum à Pontifice Maximo salutatum,) qui Judæos omnes, post Baptismum ad vomitum redeuntes, mox occidi, crucifigi, strangulari, & excarnificari jussit: Quæ potestas cruenta extensa à Pontificiis demum eheu! est etiam in eos, qui vel latum saltem unguem à Pontificiæ Ecclesiæ statutis deflectunt. Sed omnia isthæc molimina fuére frustranea, quia Religio sponte susceipi debet, non vi, Dist. 45. c. de Juda. Hodiè equidem Hebræi, (qui potiùs Talmudistæ dicendi essent,) ad Christiana sacra compulsi, subdolè religiosiùs quàm anteà clam secum legem suam Mosaicam observare solent. Fertur in Hist. Judaica Salomonis fil. Virgæ, pag. 347. Hispalensis sacræ censuræ præfectum, Duci dixisse: quod si cognoscere velit, qui ex coactis Hebræis diem Sabbati more Judaico adhuc observarent, turrim conscendendam, atquè ex alto Judæos à Christianis discernendos esse. Turri protenus conscensâ, Censor Duci ait: Hinc ex alto has Hebræorum ad Christiana sacra compulsorum ædes despice: ex qui-

ex quibus nullum fumum emergere videris, illic Hebræos latere suspicator. Dux latis circumquaquè oculis, plurimas domus observavit, ex quibus nullus fumus pervolvebatur; cùm tamen ratio temporis, asperrima scilicet bruma, ignem vel maximè suscitari postularet. Sed in causâ erat, quòd Mosaicis sacris pertinacius inhærentes, die Sabbathi focum accendere nolebant. Ipse etiam à fide dignis audivisse memini, in Hispania virum quendam ad Christiana sacra vi adactum, toto anno panem non fermentatum comedisse, saltem ut die Paschatis eundem, nihil mali suspicantibus Christianis, comedere impunè posset, causatus stomachum suum fastidire fermentum. Habent hi Pseudo-Christiani lanionem, qui mactatis animalibus, nervum femoris pinguedinemquè lege prohibitam adimit, & bene purgata animalia ad latentes Judæos occultè defert. Habent præterea Magistrum, qui clam præputium præcidit. Alii sibi ipsis præputia demunt,

ne cons-

ne, conſciis aliis ad ſupplicium rapiantur. Pari etiam aſtu cætera ſuæ legis præcepta obſervare ſtudent. Quid ergò refert, ſacras Baptiſmi aquas in Judæos perdere, eoſque Chriſtiano nomine Chriſtianum aut Johannem appellare, cùm ſeveriſſimi legis ſuæ cultores eſſe haud deſinant, eamque ad ultimum vitæ ſpiritum, ut Aciba & Tariphon, defendere contendant? ſaltem iſtâ ratione procedendi, iis dabitur occaſio, ut ſimulati Chriſtiani verè Chriſtianis ſuperbè inſultent, & vectigalia, quæ Judæi antèà pendere ſolebant, ſolo Chriſtiano nomine armati, excutiant. Ex his dictis, ſole meridiano clarius eſt, armatâ manu Regnum Chriſti nequicquam propagari poſſe nec debere. Eccleſia adhuc, ea unicè habet arma, quibus ipſa primùm collecta, & poſteà in omnes terrarum fines extenſa fuit; utitur autem ancipiti & acuto Spiritus S. gladio, Verbo Dei, tam ad ἔλεγχον, quam ad διδαχαλίαν utili 2. Tim. 3. Hoc eſt ſceptrum illud, quo Immanuel

noſter

noſter ex Siòne emiſſo terrarum populos ſubegit. Unde multò rectiùs ſentiunt iſti, qui argumentis ſacris ſtringentibus adoriuntur eos, qui, omiſſis reliquis articulis fidei Chriſtianæ, in primis urgent quæſtionem de Meſſia, eumquè non eſſe alium, quàm Jeſum Nazar. Bethlehemi natum, & pro noſtris peccatis Hieroſolymis in arâ crucis mactatum, ex præſagiis ſanctorum Prophetarum: uti quoquè factum apparet à plur. Reverendo DNO. HENRICO LEMKEN, Paſtore emerito Bergenſi, ſr. in DNO. colendo, in hôc ſuo Libello, vindicante promiſſum incarnatum verum Meſſiam; quem ante multos annos, adhibitis in conſilium viris doctiſſimis, in ſcriptis Rabbinorum exercitatiſſimis, ſummo niſu hìc exſcribi curavit. O utinam ad talia attenderent demum Judæi, qui adhuc ante mundi cata-ſtrophen, ſui populi converſionem expectant, juxta Hoſcheam cap. tertio. Vale & L. B. Hoc Anti-Judaicum ſcriptum æſtima, me-

amquè

*amq; desideratam levidensem præfationem sanâ mente lege, & quæ Christi sunt, nobiscum sedulus cura, ac promove.*

Rostochii d. IV. Septemb.
Ann. Christi. MDC. LXVI.

V.

Johann. Qvistorpius, D.
Facult. Theol. Senior, &
Pastor Dom.

# TEMPORIBUS TIBERII CÆSARIS, cum ex universis Mundi partibus ij, qui pro Senatu Populoq; Romano præerant provincijs, scriberent Senatoribus, qui Romæ erant, novitates, quæ occurebant per mundi climata, Publius Lentulus in Iudæa Præses Senatui populoque Romano Epistolam hanc:

*APparuit temporibus nostris, & adhuc est homo magnæ virtutis, cui nomen est Christus Jesus, qui dicitur à gentibus Propheta veritatis, quem ejus discipuli vocant Filium Dei, suscitans mortuos & sanans languores, homo quidem statura procerus, & spectabilis, vultum habens venerabilem, quem intuentes possunt diligere, & formidare, capillos habens colere nucis avellanæ præmaturæ, & planos fere usq; ad aures, ab auribus verò crispos aliquantulum & cæruleores, ab humeris ventilantes, discrimen habens in medio capitis juxta morem*

*Nazarænorum, frontem planam & Serenissimam, cum facie sine ruga, & macula aliqua, quem rubor moderatus venustat, nasi & oris nulla prosus reprehensio, barbam habens copiosam, & capillis concolorem, non longam, sed in medio bifurcatam, aspectum simplicem & maturum, oculos glaucos, varios & claros, increpatione terribilis, & admonitione placidus & amabilis, hilaris servatâ gravitate, qui nunquam visus est ridere, flere autem sæpe, statura corporis propagatus & rectus; Manus habens & brachia visu delectabilia, in colloquio gravis, carus & modestus, Speciosus forma præ filijs hominum.*

Hæc Epistola in Annalibus Romanorum reperta est.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0016
DFG

# ASPIRANTE DIVINA BENEDICTIONE.

Judæi haud absimiles sunt Pontificiis, qui semper, quoties provocati ad pugnam disputatoriam, ad Traditiones non scriptas & Patres provocant, quippe traditionibus & Patrum magis, quam scripturæ Sacræ nituntur autoritate, teste Pontificiorũ Coryphæo Bellarm. & D. Eckio, qui Duci Wilhelmo respondebat, se non dubitare Scripta Lutheri scriptis Patrum refutare, pendebat enim magis à Patrum quam Codicis Biblici autoritate. *Bellarm. lib. 4. de verb. c. 4. sect. 1. Tom. jen. 5. f. 41.*

Non secus hodierni Iudæi affecti sunt, qui itidem à Christiano provocati, tanquam ad asylum confugiunt ad Traditiones Thalmudicas, & Rabbinos Patres; veluti Moysen de Ægypto, Abraham Abenezra, Rabi Salomonem Gallicum, Magistrum de Zi-

ronda &c. quorum ordinationibus & dictis in legis observatione, omnes Iudæi hodiè reguntur. Thalmud in tractatu Bana Metzjah cap. 2. *Sacra Biblia legere est virtus & nulla virtus: Sed Mischnah, hoc est, textum Thalmudicum discere est virtus, quæ præmiis compensatur: ghemaram discere est maxima virtus, quæ inveniri possit.* Excogitarunt legem oralem, quæ, si ipsis credatur, per traditionem non scriptam, ad posteros est devoluta, & tandem à Magistris Synagogæ Magnæ in Thalmude literis exarata. Etsi enim id nefas ipsi antea putarent, oralem illam legem mandare scriptis, tandem nihil ominus ducti consideratione dissipationis suæ, ne Cabbala cessaret, & lex illa oralis periret, eam libro consignarunt, quem Mischnah, id est, lex iterata & secunda, dixerunt, quam postea variè auxerunt, & è quibus auctionibus & explicationibus Thalmudus Babylonicus conflatus est, obsignatus & receptus Anno Christi 500. Per hunc volunt mysteria legis per anno bi

*Thalmud in tract. Bana Metziah. c. 2.*

*Cabbala est Doctrina, quã posteri à majoribus accipiebant.*

*Thalmud Babylon.*

bis mille inter Iudæos occultata, tandem in lucem fuisse prodita; Aben Ezra citante Buxtorffio cap. 1. Synagog. *Nos, inquit, explicationem, quæ naturæ proprietatiq; mandatorum legis scriptæ conveniat, perfectam habere non possumus, nisi nos super illis quæ Chachamin Rabbinigq; nostri locuti sunt, & scripsere fundemus. Sicut enim lex scripta nobis est per majores nostros data, ita legem quoq; oralem accepimus ab ijsdem, & inter ambas has discrimen plane nullum invenire est.* Item ex libro parvo mandatorum, qui vulgo voce decurtata Semak appellatur: *Tu non cogitabis quod lex scripta fundamentum sit, multo enim magis lex oralis fundamentum illud rectum est.* Ex libro R. Bechai, quem cadura farinæ inscripsit; *Fundamentum genuinum legis scriptæ Lex oralis est, considerato, quod hæc sine illa, neq; rectè exponi, neq; vtiliter intelligi possit.* Inde fit quod Iudæi moderni non è lege scripta, hoc est, codice Biblico, sed Thalmude suo convincuntur. Salvator & Immanuel Christus Joh. 10.

Synagog. jud.. Buxdorff. c. 1. p. 55.

p. 56.

p. 60.

v. 37. cum intentatam à Iudæis blasphemiæ calumniam à se depellere vellet, quia seipsum Deum dixisset, deducit ex scriptura consequentiam à minori ad majus ex Psalm. 82. v. 7. dixi Dii estis. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo factus est & non potest solvi scriptura, me quem Pater sanctificavit & misit in mundum vos dicitis blasphemare, quia dixi Filius Dei sum.* Cum Saducæi, qui immortalitatem animarum non agnoscebant, resurrectionemq; mortuorum negabant, Act. 23. existimarent, se posse doctrinam de resurrectione, tanquam absurdam traducere proposuerunt Christo Matth. 22. quæstionem de muliere, quæ septem fratres succesivè maritos habuerat, quibus Salvator noster respondit, eos errare, scripturam ignorantes, & virtutem Dei; ut autem ex scripturis resurrectionem probaret, *De resurrectione, inquit, mortuorum non legistis, quod vobis dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob? Deus non est Deus mortuorum,*

*rum, sed viventium.* Quibus verbis occlusit os Sadducæis. *Resurrectionem comprobaturus Dominus* (ut Iansen Concord. Evang. c. 17.) scripturarum autoritate ex Moyse potissimum hoc facit, quod hunc solum Sadducæi reciperent, eumq; pro sua sententia citassent, ex quo tale profert testimonium, quod apertè quidem resurrectionem non astruit, sed tantum ex consequenti. Exemplo Christi Judæi per Διάνοιαν, seu consequentiis è scriptura deductis convinci queunt de Adventu Messiæ, ut Jesum Christum, in quem credimus, esse Messiam olim Patribus promissum, & non alium expectandum esse credant. Miseri homines credunt contra spem in spem, credunt contumaciter, Messiam Regem Regum, victorem victorum semper Augustum venturum esse adhuc, uti confitentur in Symbolo suæ religionis, articulo ultimo: *Credimus nos, qui sumus de cœtu Iudæorum, instare nostram redemptionem, qua recolliget Deus opt. Max. dispulsos, & mittet* *Schechard. in Horolog regio.*

tet nobis Messiam nostrum. Is restaurabit cultum Sacrum in adyto domus suæ, & admovebit nos servitio ejus, Tunc recreabit populum suum è diebus afflictionis, quando restituet cultum pristino vigori. Utinam celeriter illo tempore nos dignaretur! Etiamsi moretur diu, num tamen non expectabimus? Qui vacillat, is habetur pro Apostata totius Iudaismi. M. Hal. Melach. c. 11. Quicunq; non credit in illum, aut non præstolatur ejus adventum, is tum cæteris Prophetis contradicit, tum ipsi Mosi, quia lex disertè testatur de illo, dicens (Deut. 30.) reducet Dominus captivitatem tuam & miserebitur tui, congregabit te ex omnibus populis, quo tedispersit, etiam si expulsus esses ad extremitates cælorũ &c. Verum enimvero Messiam promissum dudum venisse non, in gloria & potestate, sed humilitate, subsequentia Argumenta Trationibus Thalmudicis, autoritateq; Doctorum Iudæorum subnixa probabunt, recentiores refractariosq; Iudæos propriis, quod dicitur, gladiis jugulabunt.

I. Argu- I. Argumentum deducitur à temporis

poris, Mediatoris adventui destinati & præfixi, impletione, illud tempus describitur Gen. 49. v. 10. Dan. 9. v. 24. Hag. 2. v. 1. Examinemus locum Gen. 49. ubi tempus descriptum ita invenitur: *Non recedet Sceptrum de Iuda, & Legislator è pedibus ejus, donec veniat Siloah.* Duos Patriarcha Iacobus sibi propositos habuit Scopos. 1. Ut ostenderet, quousque Respub. Judaica post abductas à Salmanassare decem tribus esset duratura, videlicet ultra adventum Messiæ, *non recedet Sceptrum*, velut Junius, *non desistet tribus à Iuda* donec venerit Tranquillator עַד כִּי יָבֹא quod commodè reddi, potest, *donec venerit*, ut intelligatur, primò venturum Christum in regnum suum, illudq; solenniter inchoaturum, id quod post ascensum ejus in cœlum factum est in die Pentecostes; Errant enim, qui adventum ejus tantùm ad Nativitatem ejus restringunt, deinde omnem penitus civilem magistratum & ordinem Hierarchicum deletum iri. Quomodo Num. 20. v.

*ment. à Temporis Ch. ad venturi destinati impletione.*

17. legitur עַד אֲשֶׁר יַעֲבוֹר donec transierimus. 2. Circa quod tempus venturus esset Messias; Circa illud videlicet, quod mox subsecutura esset Reipub. Iudaicæ παιδελευθερία, adeo ut ea certissimum & infallibile documentum Christi jam nati Iudæis esse debuerit. Hoc dictum de Messia esse intelligendum asserit Zohar Cabalistarum, ut & Thalmud multis locis & ipse Kimhi. Unde R. Hama Filius Hanina in Thalmud: *Filius Davidis non veniet, quam diu vel minimus principatus supererit in Israel*, eoq; locum ex Esaia adducit c. 18. v. 3. & 7. Et R. Hili ex R. Eliezer Filio R. Simeonis: *Donec*, inquit, *omnes Iudices & Magistratus desierint in Israel*, quod ex Esaiæ cap. 1. v. 25. & 26. elicere conatur. Quare cessantibus illis in Hierusalem, regno, inquam, & jurisdictione sublatis, Messiam haud dubiè præsto esse cogitarunt. Ex hisce testimoniis talle necto argumentum:

*Thal. in lib. San. hed. c. Melec. Kimhi in Gen. in lib. Radic.*

Messias debuit nasci sceptro à tribu Iuda nondum ablato, jam verò Sceptrum

ptrum ante plures quam mille quingentos annos à tribu Iudæ est ablatum;

E. Messias venit.

Major propositio ex præcedentibus patet; Minor probatur ex Historia Politicæ Iudaicæ. Etsi quidem Synedrium magnum, quod ex 72. Senioribus more patrio delinquentes contra legem puniebat: nam incarcerabant Act. 4.5. virgis cædebant non solum Hierosolymis, sed in aliis etiam urbibus Act. 9. & 26. vitæ tamen & necis potestatem amiserat Joh. 18. 31. & ita summa potestate hoc Synedrium orbatum erat; ergo immotum manet Adventum Messiæ tum temporis fuisse, unde dixit Rabbi Ramon: *Quando Sanhedrin fuerint remoti de Consistorio Guazit, & potestas judicandi criminalia judicia ab eis fuit ablata, cooperti sunt saccis, & capillos suos pilaverunt, dicentes: væ nobis, quia Sceptrum de Iuda est ablatum & Filius David in mundum venit.* Hieron. de S. fide lib. 1. c. 2. p. 33.

Exci-

Iudæorum Exceptiones.

Excipiunt ad hoc Argumentum Iudæi: Saul, ajunt, neoterici quidam, electus fuit Rex in Silo ex tribu Benjamin & forte locus hic ad eum alludit. Resp. Dicit Patriarcha Jacob, *Non auferetur Sceptrum* &c. quod sanè cum nondum Iuda tenuisset, tenuerit verò demum ex quo David unctus fuit, scriptura dixisset potius: *Non transferetur Sceptrum ad Judam*, donec auferatur ipsi Silo, ac propterea de Saulo nullo pacto intelligi potest.

Alij inferunt: Ierobeam filius Nabath, solicitatis ad defectionem decem tribubus, regnum transtulit in Ephraim, & coronatus fuit in Silo. Ergo Ierobeam intelligi potest. Resp. Sceptrum permansit in Juda, & supremus senatus in Hierusalem, & perierat regnum Ephraim, multo antequam Juda Babylonem migraret: nec vero coronatus fuit Jerobeam in Silo, sed in Sichem.

3. Reg. 12.

Origē. lib. 4. περὶ ἀρχῶν Thalm. in Tract.

Alij per Silo Nabuchodonosorem intelligunt, quia is, ajunt, asportavit tribum Juda Babylonem & cepit

pit Hierosolyma, & templum diripuit, quo cavillo prophetiam sibi declinasse videntur. Resp. In ipsa captivitate habuerunt perpetuo Judæi suum Reschgaluta id est principem exulum ex tribu Juda exq; ipsa Davidis stirpe; quod Judæorum historiæ testantur, inquibus series istorum principum inde à Zorobabele absq; hiatu continuatur. Itaq; dicitur in Thalmud, per sceptrum intelligi Principes exulum, Per Legislatorem filios, id est, discipulos Hillel, in quibus præcipui fuere Jonathan filius Uziel, Parapharis Caldaicæ in Prophetas autor, & Simeon Iustus de quo apud Lucam cap. 2.

*Shaned. C. Dinæi*

*Mammonotis R. Moses Ægyt. in præfat. Maie monim.*

*Hillel eximius Doctor apud Iudæos cujus Scholæ multi viri magnæ inlegis peritiæ.*

Alij ut vaticinium hoc de Messia corrumpant, aiunt, vocem שֵׁבֶט non significare virgam dominationis seu sceptrum principatus sed virgam castigationis, & sensum esse; *Non discedet de tribu Iuda vexatio, & oppressio donec venerit Messias.* Resp. Virga quidem duplex est regni & castigationis. Virgam regni memorat regius Vates Psal. 45. *Virga æquitatis*

*Drusius in loc. cis difficil.*

virga

*virga regni tui.* Virgã castigationis Salomo Rex Prov .22. *Stultitia alligata est animo pueri, virga castigationis procul repellit eam ab eo.* Virgam castigationis hic intelligi non posse, ut volunt Judæi nonnulli, sic probatur. 1. Omnia quæ Jacob hic de tribu Juda denunciat, sunt fausta, prospera, glorioſa. 2. Eventus hoc idem refutat, quia Sceptrum diu mansit in tribu Juda, idq; summa cum gloria. 3. Idem probant antecedentia & consequentia. 4. Antoritas 70. Interpretum idem docet, qui sic hanc metonymiam vertunt, *non deficiet Princeps ex Iuda*, ita etiam & alii vertunt, *non deficiet habens principatum*, & Thargum, *non deficient Hierosolymorum Reges.* Alij inter Iudæos obtendunt, Sceptrum adhuc superesse penes 10. tribus in Scythia vltra mare Caspium in absconditis regionibus per fluvium sabbathicum à nobis separatis habitantes. Elias Levita in Thesbi in rad. Sambation. Resp. 1. Sceptrum penes tribum Iuda mansurum, dicitur. 2. De illorum Iudæorum in Schythia dominio altum

apud

apud omnes scriptores est silentium. 3. Fluvius Sabaticus, cujus Josephus & Plinius meminerunt in Syria est non in Scythia 4. R. D. Kimhi negat quem quam scire posse locum, ubi sint decem tribus in Comment. Ierem. 31. v. 15. 5. Si fluvius Sabbaticus non est navigabilis nisi die Sabbathi, ne quidem Messias cum navigio transire poterit, quia Sabbatho iter facere ipsi non licere traditur in Thalmud lib. Erub. fol. 43. Confer Galatin. lib. II. de arcan. c. 9.

*Secundum membrum Argumenti primi Dan. 9. 24. Hebdomades Danielis.*

Examinandus venit locus Dan. 9. ubi Angelus Gabriel Danieli hæc commemorat verba: *Hebdomade 70. decisæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ad finiendam prævaricationem & ad consumendum peccatum & expiandam iniquitatem &c. & ungendam Sanctitatem Sanctitatum. Scias ergo & intelligas quod ab exitu sermonis de reducendo populo & ædificanda Hierusalem usq; ad Christum ducem, hebdomadæ septem, hebdomadæ Sexaginta duæ, & redibit, reædificabitur platea & murus*

*idque*

*idque in angustia temporum; Post hebdomadas verò Sexaginta duas excidetur Christus, & non erit ei adjutor, & postea urbem illam & Sanctuarium dissipabit populus Ducis venturi, & finis ejus cum inundatione, & usq; ad finem belli excidetur desolationibus, & roborabit pactum multis hebdomada una, & in dimidia hebdomada cessare faciet Sacrificium, & oblationem, propter extensionem abominationum desolabit, donec consummatio* &c. Hoc modo Angelus Danielem affatur initio imperij darij Medi; cui Cyrus successit: Apud Deum intercessisti pro populo; Civitate & Sanctitate, id est, templo loco Sancto: Ecce exaudivit preces Deus, cujus misericordia superabit septuplo judicium præcedens (quo 70. annos captivitatem sustinuistis) cum illud quod expetis obtinebis ad annos Septies septuaginta. Nec ita magnopere sis de corporali liberatione sollicitus; nam obtinebis & Spirtualem, quæ in ipsam æternitatem se extendet, & quidem intra præfinitum spacium,

*Ex Annotationib. Confiat L. Emper. ab Oppych super Ioseph. Iachiad Paraphras. Dan.*

cium, quod adeò longum non erit, sed instar dierum aliquot, & septimanarum respectu futuræ æternitatis. *Hebdomadæ 70.* à Deo sunt destinatæ, & consilio æterno *præcisæ*, quibus populus tuus Iudaicus ædificet, & deinde ut vera Ecclesia inhabitet *civitatem* Jerusalem unà *cum Sanctitate tua*, hoc est, templo Sanctissimo, ut interea temporis, antequam Iudæi Ecclesiæ jus amittant, & denuo vastentur ac destruantur, exoriatur Messias, qui tollat ac *consumat prævaricationem*, *finem* denique *peccatis* mortalium *imponat*, & solvendo debitum, à vobis pœnam, *iniquitatem expiet*, *atque justitiam afferat æternam:* nec non *sigillo* veluti *obsignet*, confirmet adeoq; impletarum *veritatem* præcedentium de se suaque gratia *visionum Propheticarum*, qua ratione, ut Moses, cui erit similis, *unget*, ac divino cultui consecrabit *Sanctum Sanctorum* (quatenus hoc latè sumitur) id est cooptabit & consecrabit Ecclesiam, fidelesque in ea versantes idoneos reddet Sacerdotes, illudque χυρίως dictum Sanctum San-

 ctorum

ctorum vobis fidelibus (ut olim Moses res cum personis ungendo) reddet pervium, cum in Sacerdotem unctus, suo gratiæ oleo, ac Sanguine in tabernaculum, quod fixit Deus, adeoquè ipsum cœlum viam dicabit recentem & vivam. Verum enim vero distinctius tibi, (inquit Angelus) temporum periodos ob oculos ponam; *Scias igitur hæc & intelligas* fore, ut ab eo tempore, quo *prodibit* Cyri sermo, permissum atq; mandatum, *de ædificeanda iterum civitate Jerusalem* (quæ non tantum è privatis ædibus constabit, sed multo magis ædes publica & Sancta) *usque ad Messiam*, donec hic populi sui se palam in omnium conspectu *ducem* præbeat, quod præstare incipiat anno ætatis 30. cuiusq; insignis erit progressus in Resurrectione & Ascensione in cœlum, utillo, inquam, intermedio tempore effluant primum anni 49. id est, *Septimanæ Septem*, deinde 62. id est, anni .434. illique anni 49. seorsim collocantur; quia impendentur templi sive ædis Sacræ ædificationi, quam præ cæteris efflagitasti.

§.25.

Jam

Jam vero scito Daniel, de hinc, antequam Messias se palam viæ ducem præbeat, præterea interceſſuras *Septimanas* 62. id est, annos 434. quibus primum, post templum absolutum, iterum *ædificabitur civitas*, circumducto muro ac *fossa*, & reparatis *plateis*, quæ incepta isto anno Artaxerxis 7. quo ædes sacra complementum sortita fuerit, paulatim perficientur. Deindè vero, quia in hac miseriarum valle nihil omni ex parte beatum est, ut Abrahami vera proles animum à terrenis avocatum, ad Regem Spiritualem Messiam, ejusque regnum Spirituale transferat acapplicet, *in angustia* id est, adversa erunt tempora sequentia (magna saltem ex parte) usque ad Ducem Christum: ita tamen ut Iudæi suis possessionibus, suoque regendi sceptro gavisuri sint, atque templum, civitatemque, quam votis expetierint, istis ferè annis reliquis inhabitaturi.

Postquam vero hæ 62. *Septimanæ* præterierint, sive cum annus agetur 434. ab inceptâ civitatis restauratione, *excidetur*, §. 26.

*detur*, variis ærumnis per annos aliquot exantlatis, flagellis, claviſq; concidetur, ac tandem morte extinguetur ipſe Meſſias: Cum ei non adhærentes, ut par fuiſſet, ſed ſeſe ei opponentes, primum primores, tandem quoque reliqui Judæi ipſorum ſuaſu Meſſiam tradent crucifigendum, qua ratione ſecundum propheticas prædictiones lapidem angularem rejicient, & Dominum transfigent, clavis ſcilicet crucis & lancea. At non impunè ferent, verum (ut hoc quoque ἡρῴῆριον adjiciam, quamvis à Deo id non petieris Daniel, quo de adventu Meſſiæ Iudæi certiores eſſe poterunt) *hanc civitatem* & *Sanctiſſimum templum* deſtruet, devaſtabit ac corrumpet, temporibus ſecuturis, *populus* hujus *Ducis* Meſſiæ *futurus*, id eſt, gentiles & Ethnici Romani, qui ſuo Duci in hac ſumenda vindicta ſtrenuam operam navabunt: *Duci ſuo*, inquam, quia jam dudum gentes quoque ei in populum deſtinatæ ſunt. Exitium autem & *finis* ſuperveniet Iudæis *inundationis instar: nam donec bellum*, quo perdenda eſt

Judæ

Judæorum Respublica *obtineat finem* ac scopulum suum, continuis *desolationibus excidetur* Urbs & Respublica.

Deniq; Daniel hoc caput de passi- §. 27.
one Messiæ attenta consideratione dignum accurati⁹ tibi exponam. Quamvis futurum sit ut Judæi prout dictum fuit, rejiciant, & abnegent suum Messiam, adeoq; istud Spirituale fœdus alioquin ipsorum futurum respuant, ac veluti infringere conentur, tamen Messias corroborabit fœdus istud vitæ multis, quos è populo servabit passione sua & sibi aggregabit sua doctrina cum per se, tum per Apostolos: idque præcipuè *ultimâ Septimanâ* ex illis 70. id est Septennii spatio. Etenim primum per annos tres cum dimidio, vel quatuor cum dimidio (qui efficiunt *dimidium Septimanæ*, nam ut medium sic & dimidium Hebr. latè sumitur) ab eo tempore, quo palam baptismo suo muneri consecratus fuerit, varia perpetietur Christus, & passim populum docebit, ac miraculis doctrinam confirmabit. Baptismum enim suscipiet

anno ætatis 30. finiente vel exacto (nam verba Lucæ benè interpretatus est Magnus Scaliger lib. de emend. temp. 6. ipsius enim sententia nititur phrasi Græca, & Syri interpretis authoritate) baptizabitur, inquam, anno 30. id est, anno Regni Tiberij 15. morietur autem anno Tiberij decimo nono, id est anno quarto Olympiadis 202. cum eruntipso meridie miraculosæ tenebræ: Superabit verò passio triennium vel quadriennium semestri, quia nascetur Messias mense Octobri, & morietur circa Paschatis festum. Porrò illa passione (quam per dimidiatam Septimanam singulatiter sustinebit) & ipsa tandem subsequente horrenda morte, abolebit, atque *cessare faciet Sacrificia & munera:* utpote quæ figuræ & Simularcha fuerint eorum, quæ Messiæ erant eventura: sicuti docet collatio eorum, quæ ad ritus illos pertinent, cum iis quæ de Messia tradit passim Dei Spiritus (confer c. 53. Esa, Zach. 12. 10. Psal. 22. &c.) Deinde quoq; postquam in cœlum ascenderit, perdi-

midium

midium Septimanæ alterum, id est, tres circiter annos, reddet plurimos Iudæos fœderis participes, robore suo exerendo per Apostolos, qui miraculis & doctrina miraculosè accepta convertent plurimos. Posteaquam verò absoluta fuerit ista septimana, id est, ultima, convertent se Messiæ legati ad gentes, eo quod Iudæi passim Messiæ Legatorumque doctrinam impugnabunt acerrimè. Atque hic erit terminus septimarum 70. quæ tuæ Reipub. fuerint concessæ, ut eo tempore apud Iudæos Ecclesia simul, & politia civilis remanerent & acquireretur salus. Migrante verò paulatim Ecclesiæ vineâ ad gentes, ita pedetentim collabascet politia cum Ecclesia, ut tandem Sceptrum extirpetur penitus, populusque è Patria eradicetur (cujus specimem post illos annos 490. hoc est, 70. Septimanas datum fuit, cum anno proximo Tiberij imaginem Pilatus in Sancto templo collocari vellet, postea verò alia etiam exigeret, ideoque seditio & cædes exorirentur. Deinde Vitel-

lius Pontificatu jam hunc jam illum moveret ad libitum : & postea Cajus Caligula templum Hierosoymitanum sibi consecraret, ut Jovi illustri novo Cajo nuncuparetur : post hæc Domitius Nero gravissimè Iudæos affligeret, teste Iosippo, itaque miserrimè ab illo commemorato tempore cum sub Tiberio tum per Caligulam aliosque Iudæi exagitati fuêre, Eusebio teste, donec penitus regione & patria exuerentur) itaque ait Angelus, *per alas* Romanas, *quas* Iudæi *abominabuntur*, *desolabit* eos iustus Judex ad interitum usquè: & *donec consumantur* eæ judicis consilio, *quod* apud se iniit præcisè, ac veluti præcidit, per illas Romanorum copias *effundet sese* crescens indies calamitas, & desolatio, effundet sese, inquam, in Iudæos, *qui desolati obstupescent* ad illa Dei judicia.

Hanc versionem seu explicationem à Constantino Lempereur ab OPPYCK S.T.D. concinnatam super paraphrasin Joseph Jachiadæ, huic vaticinio Danielis subnexui, ut id multis, qui-

quibus hactenus obscurum, quodammodo innotoscat.

Est sanè de 70. illis Dan. Hebdomadibus, quas Dominus per Angelum ei significavit, determinatas esse super populo, & civitate Iudæorum, difficilis quæstio & obscura, sicut & doctissimorum Sacræ scripturæ interpretum confessio testatur, & varietas opinionum, quibus Chronologi Theologiquè in ejus explicatione inter se dissident, manifestum facit. Nonnulli enim has hebdomadas numerant à primo anno Cyri; alii à Secundo Artaxerxis; quidam à vicesimo, quia tum etiam aliud edictum in gratiam Nehemiæ à Rege editum legimꝰ, quod templi ædificium interturbatum fuisset. Nehem. 2. Verũ sit ut sit, certũ tamen est è circumstantiis, ab angelo designatis, Hebdomadas has esse finitas: Nam princeps populi venturi civitatẽ evertit, hoc est, imperator Romanꝰ Hierusalẽ Solo æquavit, & Sanctuarium vastavit, & sacrificia toto orbe abolevit, & evenerunt postremò, quasi lle extremas angustias comminabatur.

*Testimonia Rabbinorum Thalmudiq.*

Hoc vaticinium respicere ad Messiam terminumq; suum sortitum fuisse, probabo testimoniis Rabbinorum Thalmudique. Moyses de Zirrona, in glossa sua, quam dicto libro Danielis fecit, sic ait: *Et ungetur Sanctus Sanctorum, iste est Messias ex filiis David Sanctificati.* Rabbi autem Moyses prædicator dicit. *Et adducatur iustitia Sempiterna,* iste est *Rex Messias*, item habetur in fine libri ordinis mundi: *Dicit Rabbi Iosua Septuaginta hebdomadæ numerantur à primi templi destructione usq; ad destructione ultimi.* Hoc pacto de captivitate Babylonis 70 anni: de Ultimi templi destructione 420. & sunt 490. quia numer⁹ est hebdomadarum 70. in quarum fine Messias venire debuisset. Et hoc modo per Gaon Rabbi Sahedias, & Rabbi Abram, & Rabbi Aben Hazora probatur. In Thalmud celeberatur illa traditio ex Eliæ Schola: *Mundus sex mille annos durabit: bis mille vacuum,* id est, *sine lege; bis mille lex; bis mille Christus,* & Rabbi Iacob primos bis mille annos tempore Abrahæ, secundos circa de-

*Thalmud. tract. Sanhedr C Helec & passim.*

structi-

ſtructionem & ſecundi templi deſinere tradit, quod ex ipſa ſupputatione probat: quib⁹ abſolutis Chriſtum venturum & Iſraelem liberaturum dicit.

Moderni Iudæi, promiſſum mundi Meſſiam nondum in mundum veniſſe, cauteriatâ fronte ac conſcientiâ pernegantes, per Meſſiam intelligunt vel Cyrum vel Nehemiam, vel Jehoſuam Sacerdotem magnum, cujus fit mentio Hag. 1. vel Zorobabelem. Reſp. Initium fortaſſe, non verò complementum 70. Septimanarum in iſtorum tempora incidit. Præterea ſingulis iſtis non competunt prædicata Meſſiæ in hoc vaticinio expreſſa: nempe *conſummare prævaricationes: obſignare peccata: expiare inquitatem: implere omnem viſionem & prophetiam: abrogare Sacrificia Levitica* &c. quæ omnia, cum non quadrent in Cyrum, Nehemiam, Joſiamque, per Meſſiam hunc intelligi nequeunt. *Objectiones Iudæorum moderno.*

Alii ut enervent hoc vaticinium, tali modo ſeſe opponunt Chriſtianis: Vos Chriſtiani diſſidetis inter vos in ſup-

ſupputatione, quidam veſtrum ordiuntur hanc ſupputationem ab anno 1. Cyri, quidam à Darii 2. quidam ab Artaxerxis 2. quidam ab ejꝰ viceſimo, & ita rem relinquitis in incerto, quod Sanctæ veritati præjudicatur. Reſp. Mornæus in ſua illa luculenta diſputatione pro veritate religionis Chriſtianæ contra Judæos, Saracenos, Atheos, impioſque omnes ait: quocunque modo explicetur locus ille Danielis, ſi agnoſcamus terminatas eſſe ſeptuaginta ſeptimanas morte Chriſti, nihil derogare firmamentis fidei, ſive ducatur initium illorum à Cyri primo, ſive ab Artaxerxis ſecundo, aut vigeſimo: tantùm Mornæus. Præterea ſi varietate opinionum & ſententiarum aliquid certum incertum reddi, credendum eſt, Mundum temporis initium non habuiſſe, quia variant autores ſententiis, Irenæus, Euſebius, Hieronymus, Damaſcenus, Auguſtinus, omnesque propè Patres, Græci, Latini, & inter recentiores Gregorius de Valentia, Cornelius à Lapide, Genebrardus &c.

cen-

censent mundum *verno tempore* conditum esse: Hebræi & hos secuti Josephus, Nicolaus Lyranus, Tostatus. Scaliger, Calvisius pro *autumno* pugnant: Gerhardus Mercator pro *æstate* dimicat, argumento petito è ramo virentis olivæ, quem columba à Noacho emissa, mense undecimo ad eum attulit. Hoc sententiarum divortium non adducit me, ut credam, Mundum nunquam sumpsisse initiũ, quia sex dierum mora productum esse mundum è Gen. 3. cap. constat: Sic quod Chronologi Sententiis discrepent, obscurumq; sit, à quo tempore ordienda sit hæc septimanarum supputatio, non obstat, quo minus hoc vaticinium sit completum, quippe manifestum est; Sacrificia sublata, defectionem cohibitam, peccata obsignata, iniquitatem expiatam & reliqua omnia esse consummata, quæ de Messia ab Angelo fuêre prædicata.

Tertium Membrum Argumenti primi submministrat seu suppedita Propheta Haggæus cap. 2. hisce verbis: *Quis ex vobis reliquus, qui viderit domum istam* 3. Membrum

Hag. 2, 3. *ist am in gloria sua priore, & qualem videtis eam nunc? nonne sic est ac si non esset in oculis vestris.* Hierosolymis duo templa fuêre, primum à Salomone extructum, destructum à Nabuchodonosre. Secundum faventibus Cyro & Dario Persarum regibus à Zorobabele ædificatum, eversum deinde à Tito Romanorum Imperatore. De hoc secundo templo loquitur Haggæus: ad hoc dominatorem fœderisq; legatum statim venturum esse testatur Malachias &c. Haggæi coætaneus cap. 3. Hoc templum inferius fuit priori, si spectes prioris splendorem & magnificentiam, unde legimus cap. 3. Esdr. bonos illos senes, qui primum viderant, cum Secundum utpote multis nominibus inferius conspicerent templum, lacrymas continere non potuisse: Superius fuit, quare Propheta addit hæc verba: Major erit gloria domus hujus posterioris gloria prioris, dixit Jehova Exercituum; quibus verbis Zorobabelem & Jehosaam filium Josedec universumq; populum ad opus extimulat, & bono animo esse jubet.

jubet. Hujus dicti veritatem eo'niti asserunt scriptores Christiani: *quod in secunda domo* seu *secundo templo Christus, postquam natus fuit, oblatus sit* Luc. 2, 22. *quod eam sua præsentia, doctrina, miraculis, illustrem reddiderit, ut Evangeliorum omnium contextus docet: quod ibi duodecim natus annos versatus sit inter Doctores, ac cum illis disputaverit* Luc. 2. 46. *quod populum docuerit* Joh. 7, 8. & cæteris capitibus, *quod inde Apostoli prædicationem Evangelii sint exorsi, eamq; sacrosanctam vitæ cœlestis doctrinam Sione & Jerosolymis* in omnem terram effuderint, quod in actis Apostolorum declaratur; & quidem suffragatur ratio Prophetæ. Major futura, *nam in loco hoc dispono pacem*, Major itaq; futura erat gloria posterioris domus, quam prioris, quoniam pacem & prosperitatem ornamenta longè ampliora ei domui collaturus erat Jehova, quam contulisset priori, non externam quidem pacem & prosperitatem (nam ea longe superior fuit domus Salomonis, si omnia spectemus externa ornamenta, quæ auri &

ar-

arpenti nomine Propheta comprehendit) sed internam significat ergò Pro-
Eph. 2. 14. pheta eam pacem, de qua scriptum est, ipse est pax nostra: pacem interiorem conscientiæ, pacem quæ profluit ex cœlestibus illis donis, quibus amplissimè Christus ornavit Ecclesiam suam, cum seipsum immolaret precium peccatorum nostrorum ea domo ad huc stante: eam pacem, quam Dominus per Esaiam significavit, cum appellaret Christum, Principem pacis, ut qui abolitis omnibus inimicitiis, reconciliaret Deum nobis, nos Deo, De quo Zacha-
Luc. 1. rias apud Lucam: *Invisit nos germen ex alto, ut appareat iis qui in tenebris & umbra mortis positi sunt, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Cujus nativitatem Angeli celebrarunt hymno cœlesti:
Luc. 2. 14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax.* Cui cum appropinquaret ad urbem Hierosolymitanam multitudo discipu-
Luc. 19. 38. lorum cecinit laudans Deum, *Pax in cœlo,* Qui discipulis suis cum ab illis in cœlum esset discessurus dixit: *Se relinquere illis pacem, pacem illam suam dare*

ipsis

*ipsis, non prout mundus dat se dare, per quem annunciavit Deus pacem filiis Israëlis* Act. 10. quippe cujus merito, & beneficio *pax super Israëlem Dei est & misericordia.* Ea pax quam ipse discipulis suis præcepit, *pax vobis* Joh. 20. Ea ipsa quam Apostoli initio epistolarum suarum Paulus, Johannes, & Judas optarunt fidelibus: quam Spiritus Sanctus laudat, *ut pacem Domini, quæ omnem intelligentiam superat*, quam quia improbi habere nequeunt, pronunciatum est ab Esaia: Nulla est pax, inquit Deus meus, improbis.

Gal. 6. 16.

Phil. 4. 7.

Esa. 57. 25.

Atque adeò Iudæi qui pertinaciter in suo errore ad nostra usq; tempora perseverant, ut Messiam nondum natum arbitrentur, etiamsi comminiscantur futiles, frivolasque causas, alii alias, quibus persvadeant gloriam fuisse majorem posterioris domus, quam prioris, nulla etiam Christi ratione habitâ; tamen magnas vires huic rationi Christianorum adducunt, quod uno ore omnes consentiant, externa ornamenta templi Salomo-

lomonis in posteriori defuisse; Nam ipsis hoc multum facessit negotii, ut aliquam speciem probabilitatis, imò ne speciem quidem adferant, qua dodoceant, majorem fuisse posterioris gloriam, quam prioris, nisi hoc ipsum nobiscum agonoscant, eam fuisse positam in præsentia Christi. Etenim in tabernaculo extructo à Mose, collecta est arca illa preciosissima, neq; tam opere ipso ac materia, quam usu preciosa: *quoniam è superiori parte operculi illius propitiatorii, quod erat super arcam testimonii è medio duorum Cherubinorum, Moses cum ingrederetur tentorium conventus, ut loqueretur cum Deo ipso audiebat quandam vocem sermocinantis secum* Num. 7. *Deus operuit tabernaculum nube, atq; sua gloria implevit.* Exod. 40. *ignem quem præcepit diligenter alendum in altari* Lev. 6. *accendit Deus ipse* Lev. 9. Lev. 9. *Exiens enim ignis à conspectu Jehovæ consumpsit in illo altari holocaustum & adipes. Urim & Thummim commendavit Deus Summo Sacerdoti, ut cœlesti semper oraculo & judicio admoneretur populus*

Num. 7. 89. Exod. 40, 34. Lev. 6. 5. Lev. 9. 24.

*ius de rebus occultis & incognitis.* Deniq; perpetuam illis concessit Prophetarum successionem, etsi brevi aliquo temporis intervallo abruptam, tamen mox continuatam, secundum illud, quod promittitur Deut. 18. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis sicut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus, ei auscultate.* Num. 27. 21. Deut. 18. 19.

Quæ omnia ornamenta insigniaquè cum Salomon ædificaret templum, in ea, quam priorem domum Prophetæ verbis appellatam accepimus, ut ex scripturæ contextu manifestum est, collocata sunt, quemadmodum 1. Reg. 8. 2. Chron. 7. demonstratur Nam & arca in templum est introducta, & nube operuit Deus templum, idq; sua gloria implevit, & præterignem, quem accepit in altari perpetuo Sacerdotum ministerio conservatum, ignis etiam cœlitus est demissus ad consumendum sacrificia. Et cum vasis omnibus, quæ erant in tentorio, Urim & Thummim eodem loco necessario recepta sunt.

Deniq; Prophetæ fuerunt Gad, Nathan & reliqui, qui deinceps successerunt, ut tota Historia Regum & Chronicorum demostrat.

Verum Thalmudistæ & Rabbini Iudæorum agnoscunt hæc omnia in posteriori domo defuisse: nam nequè Deum suam præsentiam ibi nube testatum esse, neq; gloriosam arcam in eo collocasse, neq; ignem immisisse, aut priorem nutriisse, quo sacrificia absumerentur, nequè sacerdotes habuisse Urim & Thummin, ut de arcanis rebus & incognitis perciperent Dei voluntatem, neq; successionem fuisse Prophetarum, cum Aggæus, Zacharias & Malachias fuerint tantum in exordio ipso, cum domus esset ædificanda; postea verò quemadmodum mittebantur à Malach. ad Mosem: ita quoq; magis accenderetur expectatio Christi, & ad eam excitarentur Judæi, successionem Prophetarum fuisse abruptam. Quo argumento illi potissimum, quibus hoc est cognitum, contendunt adversus Iu-

Iudæorum pertinaciam, necessariò concedendum esse, Christum venisse posteriori templo adhuc stante, quoniam per Prophetam significavit Deus, majorem futuram gloriam posterioris domus, quam prioris, eam verò majorem non fuisse externis quinq; istis ornamentis, *arca, Urim & Thummim, nube, igne cœlitus demisso, successione Prophetarum*, quæ fuerunt ornamenta preciosissima atq; insignissima prioris templi.

Quare cum nihil relinquatur aliud, oportuisse necessariò Messiam ipsum venire stante posteriori templo, ut ita illius præsentia major esset gloria ejus quam prioris.

Hoc argumento Judæos obstinatos oppugnat, premit atq; urget Moses Iudæus, is qui ante annos circiter 500. ad fidem Christi conversus Petri Alphonsi à quo Sacro fonte susceptus nomen accepit, operis adversus Iudæorum impias opiniones titulo 9. Rabbi Akiba in Thalmud. de vaticinio hoc ita: *de diebus Messiæ, & Rege Mes.*

*Testimon. Iudæorum aliorũ-q; eximior. Thalmud in Tract. Sanhedrim Capitel.*

*Messiah & de tempore, quod fuit post destructionem primæ domus agit Propheta.* Urget alius quoquè recentior Paulus Weidnerus præcipuorum fidei articulorum tract. 3. Et ad huc alius in opere, quod inscriptum est Sepher Emana c. 7. Urget hoc argumentum Porchetus Salvaticus Genuensis victoriæ contra Iudæos lib. 1. cap. 7. Urget Ludovicus Vives de veritate fidei Christianæ lib. 3. cap. 11. Urget denique Philippus Mornæus de veriate religionis Christianæ c. 29.

*Sepher Emana sive liber fidei editus a Petro Fagio. Porchetus Genuens. meth. cont. Iud. p. 1. c. 7.*

*Objectiones recentiũ Iudæorum*

Recentiores Iudæi vaticinum hoc obscurare conantur, contendentes; Gloriam secundi templi fuisse & dici majorem, non respectu Messiæ, sed durationis respectu, quia secundum hoc templum priore illo diutius steterit. Resp. Esto, primum templum Salomonis duravisse tantum annis quadringentis & decem; Secundum verò annis quadringentis & viginti: anne differentia hæc decem tantum annorum, tanti erit momenti, ut propterea tantam templi secundi gloriam

riam futuram Propheta prædixerit? Haud verò simile, & Malachias c. 3. illud simpliciter negat. Deinde diuturnior hæc duratio templi secundi tanto est obscurior, quanto plures & graviores subinde devastationes experta est, jam ab *Antiocho*, qui etiam vasa templi abstulit, & demolitus est; jam à *Pompeio*, qui Hircano & Aristobulo de imperio dimicantibus Jerosolymam veniens, capta urbe & templo devastato, usq; ad Sanctum Sanctorum accessit: jam *à Cassio*, qui anno septimo Cleopatræ, Judæa capta, templum ipsum spoliavit. Tot diruptiones & devastationes, cum primum illud templum Salomonis non expertum sit, major utiquè ejus esset gloria, si ex duratione & conditione temporis faciendum esset judicium.

Alii objciunt Messiæ adventum debere esse circa templi destructionem, nitentes inter alia etiam autoritate R. Samuelis Barnahamam. qui dicit, *unde probatis, quod in die, qua fuit destructio templi natus fuit Messias? Respondit ob hoc, quod habetur Esaiæ ultimo,* Hieron. de S. Fid. p. 28.

*antequam parturierit peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum, in eadem hora qua facta templi destructio, exclamabat Israël, tanquam parturiens.* Resp. Per concessis: quamvis templum post Christi passionem 40. duraverit annis, quoad parites; verum tamen est, quod domus templi; cujus velum fuit scissum à summo usquè ad deorsum, in hora passionis Christi, totam suam Sanctitatem amiserit; Nam quæcunq; ibi fiebant miracula, cessarant, unde in Babylonico Thalmud (Thalmud duplex, Hierosolymitanum & Babylonicum) cap. שבעת ימים hoc est 7. dierum recensentur 10. miracula templi, addunturq; hæc verba è ψ 74. *Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, nec apud nos est sciens usquè quo, & hæc fuit major destructio templi quam ruina murorum.*

*Thalmud duplex.*

Alii id nobis opponunt: Deus apud hunc Prophetam: *Ego inquit commoturus sum cœlos & terram, & mare & siccum, & commoturus sum omnes gentes*

tes &c. hæc tempore Maschiach facta non fuerint, &c. Ergo desiderium gentium nondum venit, Resp. Christo Jesu verò Maschia in plenitudinis tempore nato, cœlum gaudio movebatur, & implebatur, ut Angeli Servitio piorum destinati lætabundi sub eo cantarent Luc. 2. Magi stella inusitata impellebantur, ut Bethlehem tenderent: Edicto Imperatoris Augusti totus terrarum orbis movebatur. Christo in crucis ligno expirante, Sol obscurabatur, & tenebris penitus obducebatur, terra tremendo concutiebatur &c. Festo Pentecostali ejusmodi motus factus est, ut Cretenses, Arabes, cœteriq; exteri populi in summam admirationem raperentur, uti videre est Matth. 27. & 28. Act. 2. Deindè gentes tuba Evangelii moti sunt, ut Ecclasiæ sese associarent, Act. 4 5. 6. & 13. &c. Atq; hoc ferè sensu D. Augustinus hoc vaticinium interpretatur lib. 18. de Civit. Dei c. 35. *Hæc Prophetia* (inquit) *partim jam completa cernitur partim separatur in*

*fine complenda. Movit enim cœlum Angelorum, & siderum testimonio, quando incarnatus est Christus: movit terram ingenti miraculo de ipso virginis partu: movit mare & aridum, cum & in Insulis & in orbe toto Christus annunciatur, Ita moveri omnes gentes videmus ad fidem.* Videatur etiam Galatinus lib. 4. c. 10. & Plutharchus in libello de defectu oraculorum. Quæ cum sint verissima, hoc vaticinum tempore Christi esse impletum quis dubitet?

Ex hisce omnibus talis nascitur argumentatio:

Qui sceptro à tribu Iuda ablato, Hebdomadis 70. à Deo destinatis impletis natus, cœlum, terram, mare & aridũ, commovit gloriamq; posterioris domus majorem quam prioris reddidit, is est promissus & verus Messias. Noster Salvator Christus Sceptro à tribu Iuda ablato: Hebdomadis 70. completis natus, cœlum terram &c. commovit, gloriamq; posteroris domus majorem quam prioris reddidit, Ergo Salvator noster Christus

Christus verus & promissus Messias, & per consequens alius Messias non est expectandus, quia venit.

2. Argumentū à mirabili, in audita Messiæ conceptione

2. Secundum Argumentum quod verus Messias Christus in mundum sit editus, desumitur à mirabili & inaudita conceptione Messiæ, quod promissus Mundi Messias non communi & naturali, sed singulari planè & admirando modo, nempe ex Maria Virgine, ex obumbratione Altissimi, virtuteq; Spiritus Sancti sine virili semine nasci debuerit, quæ assertio inter reliqua Scripturæ Sacræ testimonia nititur Esa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Quod in Iesu Christo, Salvatore nostro, impletum esse disertè memorant Evangelistæ Matth. c. 1. v. 22. 23. Luc. 1. v. 26. 27. Quinimo, quoniam Messias debebat esse toti generi humano fons & causa benedictionis Gen. 22. 8. non potuit nec debuit vulgari modo nasci. Nam consveto modo nati & concepti maledictioni sunt obnoxii. Ps. 51. 7. Job. 14, 4. c. 15, 14.

Dein-

Deinde quod Messias, e Maria Virgine illæsâ manente virginitate natus sit, litera *Mem* ostendit, quæ in Ebraico Miriã, in latino Maria utrumque nomen incipit in Mem. Verumtamen, secundum veram Orthographiam in initio & medio debet scribi cum Mem aperto, sed Es. 9. v. 6. in dictione לְמַרְבֵּה scribitur Mem clauclauso, in medio dictionis, quo virginis Mariæ illæsa virginitas indigitata est. Et quod maximum est, dictum Mem clausum Messiæ adventus tempus punctaliter ostendit, videlicet, quod ista Prophetia in quarto anno Regis Achas dicta fuit, & ab eodem anno, usquè ad annum destructionis templi, quæ anno undecimo Regis Sedechiæ facta est, CL. anni elapsi sunt. Item duravit Babilonica captivitas LXX annis, & templum, quod ædificavit Neemias annis CCCCL. Sumant Ib CXL. ablatis inde XL annis, quibus passio Christi, ante destructionem templi facta est, restant anni Ibc. qui, fuit numerus annorum, ab hora, qua dicta Prophetia prolata est, usq;

usq; ad passionem Christi, & tantum designat Mem clausum in computatione literarum per ordinem Alphabeti. Hier. de Sanct. fide p. 23. 24.

Testimonia Rabbinorum. R. Moses Hadarsan ψ 85.

Prisci Rabbini hoc vaticinium de Christo intelligunt. Itaq; Rabbi Moses Hadarsam in ψ. 85. ubi Propheta *Veritas germinabit ex terra* &c. & R. Iodeu inquit, *Hic notat, non dici, nascetur, sed germinabit, quia generatio & nativitas Messiæ non erit ut cæterarum creaturarum in mundo, sed gignetur sine copula carnali, ideoq; nemo nominet Patrem ejus, ut pote qui absconditur, donec ipse veniat, & patefaciat nobis, & in Genes. dixistis, inquit Dominus, orphani sumus nos, orbi patre, & talis etiam erit Redemptor, quem ego dabo vobis.* R. Simeon B. Johai in Genesin evidentius Spiritum magna virtute impulsum ex clauso utero exiturum, ut altissimus Princeps fiat, qui Rex Messias. Et eo usquè progreditur R. Hacadosch, ut virginis Israeliticæ, Messiam in utero gesturæ, nomen per Gimetriam, quæ Cabalæ regula quædam est, investigare

R. Simeon B. Iohai in Gen. c. a.

Mornæus de V. R. p. 506. gare conetur. Mornæus de veritate Relig.

Iudæi præclarum hoc Vaticinium de Messia multis cavillis, quantum possunt, depravant, & Prophetæ mentem in alienum sensum torquent.

Objectiones modern. Iudæor. Alii obtendunt vocabulum עלמה Alma & negant eo virginem significari, quod Salomon ipsum usurpavit pro puella quæ adamatur Prov. 30. v. 19. Verum tantum abest, locus hic adversetur nobis, ut quã maximè faveat. Mera mysteria ibi prodit Salomo, inter quæ refert & Messiæ conceptionem in utero Mariæ Virginis, ubi verè vir repertus in virgine, quod ratio Humana capere non potest. Mens enim Salomonis est difficilius esse cognitu, an fœmina, quæ, quod recondita semper fuerit, & domi diligenter custodita, maximè Virgo putatur, verè virgo sit, quam certò scire, an aquila per aërem, coluber super petram, navis per mare transierit. Concedamus Iudæis Al-

ma vocari aut puellam, & ad ætatem potius referri hoc nomen, ut ipsi volunt, (scriptura tamen sæpè eo utitur, quum de virgine sermo est) & res ipsa omnes eorum calumnias satis per se refellit. Ecquidenim mirum dixisset Propheta, si de puella locutus fuisset, quæ in congressu viri conciperet? Certè ridiculum fuisset id signi aut miraculi loco proponere. Fingamus mulierem notari, quæ ex coitu viri gravida esset futura: frigidum atq; adeo insipidum fore omnes vident, si Propheta apud Iudæos quasi de re novâ & insolitâ præfatus, subijciat, Adolescentula concipiet. Satis igitur constat, Prophetam loqui de virgine, quæ non erat ordinario naturæ ordine, sed ex gratia Spiritus Sancti conceptura. Atq; hoc mysterium est, quod magnificè extollit Paulus, Deum scilicet manifestatum esse in carne. 1. Tim. 3.

Alii obijciunt hic fieri mentionem Regis Ezechiæ, alii filii Esaiæ. Qui locum hunc trahunt ad Ezechiam,

zechiam, fuut nimium impudentes, quando quidem tum ipsum adoleviſſe oportuit, quum obſideretur Jereſolima. Si autem annos Ezechiæ numeraverimus, inveniemus ipsum ante regnum patris Ahaz annos 9. natum fuiſſe; Achas enim Pater ſedecim regnavit annis 2. Reg. 2. Huic Patri ſuo ſucceſſit in regno filius Ezechias annum agens vigeſimum quintum 2. Reg. 18. 2. Ergò cum Pater Achas regnare cæperit, Ezechias 9. annorum fuit puer: ac proindè vaticinium hoc Regi Achas quarto regni ipſius anno editum, de filio Ezechia nullo modo intelligi vel poteſt vel debet, & ſanè Iudæi craſſiſſima hiſtoriæ ignorantia teneri oſtendunt, verum hæc juſta eſt malitiæ merces, quod ita excæcavit ipſos Deus, ut omni judicio careant.

Eorum autem, qui filium Eſaiæ eſſe putant, conjectura omnino frivola eſt. Nec enim legimus, excitatum liberatorem ex Semine Eſaiæ, qui poſſet vocari Immanuel. Hic enim titulus longè ſplendidor eſt, quam ut nudo homini poſſit

possit propriè aptari. Itaq; haud dubium est, quin Propheta hic ad Christum respexerit.

Alii se nobis opponunt, dum nomen filii virginis non Immanuel sed Jesum fuisse contendunt, verum quamvis Salvator noster nomine Jesus ab Angelo sit insignitus, quod in circumcisione ipsi etiam inditum est, nil tamen obstat, quo minus & Immanuel vocetur. Nomina Christo congruentia sunt varia; Quædam sunt naturalia, quæ naturas in Christo exprimunt, qualia sunt *Deus*, *Jehova*, *Filius Dei*, item *Homo*, *Filius hominis*, *Semen Abrahæ*, Schilo &c. Quædam Personalia, quæ personam θεάνθρωπον designant ut *Immanuel*; Quædam officialia quæ ad officium Christi denotandũ adhibentur, ut *Sacerdos*, *Propheta*, *Rex* &c. Sic utrumq; nomen Christo rectè convenit d iciq; potest & Immanuel & Jesus. Immanuel hoc est Deus nobiscũ, quo respicitur ad ejus humanitatẽ & divinitatẽ, designatq; utriusq; naturæ unionẽ; Jesus, quod populum suum salvũ faciet à

 pecca-

peccatis ipsorum, De verbis Angeli Matth. 1.

Ex hisce talis Argumentatio:

Qui non secundum consvetum naturæ ordinem interveniente commixtione virilis seminis, sed è virgine illæsâ manente virginitate natus est, is est promissus & verus Messias, Noster Salvator Christus reverâ ita natus est;

Ergo noster Salvator Christus est promissus & verus Messias & per consequens promissus Messias editus est in mundum.

*3. Argument ab Vrbium, locorumq; devastatione.*

3. Argumentum deducitur ab Urbium locorũq; in quibus Messias nasci, educari, habitare, & sese patefacere debuit, vastatione & excisione. Bethlehemi nasci debuit Mich. 5, 2. *At tu Bethlehẽ Ephratæ minima existens in ducibus Jehudæ, ex te mihi exibit, qui sit dominator in Israël.* Michææ institutum est, ut consternatas populi animas judiciorum Dei denunciatione, singulari promissione Evangelicâ de Adventu Christi consolaretur; in cujus descriptione ipsum locum in quo nasciturus erat Christus de-

designat, & prædicit loci tenuitatem impedimento esse non posse, quo minus eo in loco Christus oriatur, qui locum illum & Ecclesiam ipsam erat nobilitaturus. Hæc Urbs minima erat in ducibus Iudæ olim, propterea, quod tota tribus Iuda penè erat extincta Romanorum tyrannide, nato autem Christo non amplius erat minima, sed amplitudine & gloria cum aliis comparanda, propter Christum, qui ex eâ traxit orginem, ideo Matth. 2. nequaquam minima dicitur inter duces Iudæ.

Hanc Prophetiam glossat R. Salomon hoc modo: *Et tu Bethlehem, de quâ egressus est David, secundum quod per ipsum scriptum est. filius servi tui Jesse Bethelhemitæ, Ephratum nunciavit, parvulus est in millibus Iuda, dignus erat fieri minor in generationibus milliarum Iuda; Et hoc propter labem Ruth Moabitis, quæ est in te, ex te mihi egredietur, de te exibit mihi Messias Filius David, de quo dicit scriptura: lapidem quem reprobaverunt, ædificantes, hic factus est in caput anguli. Et sic est Caldaicè interpretatum, de te coram mè* *Testimonia Rabbinorum.*

*Messias egreditur, & egressus ab æterno à diebus æternitatis. Et hoc est quod dicit scriptura: ante solem permanet nomen ejus, quod explicatur Chaldaicè; & nomen ejus ab antiquo dierum à Seculo nuncupatum.*

*Hieron. de Sanct Fid. p. 35.* Hieron. de S.F. Paraphrasis Chaldaica huic fidem facit, & ita vertit, ex te egredietur Christus, qui exercebit imperium in Israêlem &c. Et Jonathan e-

*Jonathan. B. Vziel.* jus autor, primarius Hillelis discipulus, tunc quum Christus natus est, adhuc in vivis erat: Cui Rabbi Hacadosch, ipseq; Rabbi Salomon hâc in re assentiuntur, Jesum porrò in Bethlehem natum esse negari nequit; quia & ibi ostenditur stabulum, in quo ille natus in rupe excavatum, quem locum Origenes suo tempore apud infideles percelebrem fuisse dicit.

*Objectio Judaica.* Moderni Judæi nostræ sententiæ adversi aiunt: Dominator, cujus Micha Propheta meminit, dominabitur Israêli v. 2. Christianorum Maschiach nunquam dominatus est Israêli, ergò non potest esse Dominator.

2. Do-

2. Dominator cujus mentionem facit Micha, magnus erit usquè ad fines terræ v. 4. quod Christiani de suo Maschiach asseverare nequeunt.

3. Quando dominator venit, Judæi victoriam obtinebunt adversus hostes, qui etiam eradicabuntur; hoc tempore Maschiach Christianorum factum non est, quarè certum est, Dominatorem cujus Micha meminit nondum venisse. Respond. ψ 89. dicit Jehova: *Semel juravi per Sanctitatem meam, Davidi non mentiar, Semen ejus in Seculum fore, & Solium ejus, ut Solem coram me.* & 2. Sam. 7. ita alloquitur Davidem: *Quando completis diebus tuis occubueris cum patribus tuis, excitabo semen post te, quod prodierit è visceribus tuis, stabiliamq; regnum ejus.* Quum Iudæi vaticininia Prophetarum semper ἐπὶ τῶς & literaliter intelligant, & propria scripta haut permittant, ut vaticinia de Maschiach spiritualiter intelligantur, uti Nezëch Israël docet c. 34. & Rambam in libro More Nebuchim Par 2. c. 29. ergò etiam hæc duo divina promis-

*Responsio.*

sa domui David facta per literalem sensum exponant, simulq; impletionem ostendant, quod jam semper solium Davidis flouerit, quod ad Calendas Græcas facient. Hæc promissa vera si esse debeant, spiritualiter intelligantur necesse est. Sic & non aliter vaticinium Michæ intelligendum est, quod si fit, perspicuum erit Christianorum Maschiach Israëli dominatum fuisse, videlicet spiritualiter, dum tot mille per Apostolorum conciones ad regnum Christi spirituale sunt adducti ut patet Act. 5.

2. Quod nomen Maschiach in toto terrarum orbe celebratum sit, luce meridiano clarius est, quia impletum est, quod dictum à Psalmista ℣. 19. *In totam terram prodeunte delineatione eorum, simul prodierunt in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum* teste Paulo Rom. 10. Colloss. 1. Cum jam per universum orbem eluxerit Evangelii fulgor, & innotuerit Christi nomen, quid sibi vult, quod tam pauci Judæorum credunt? an habent, quo se excu-

excuſent, quod de Chriſto nihil audierunt? Imò jam impletum cernimus, quod prædixerat David: In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Eraſm. in Comm. ſuper, Epiſt. ad Rom.

3. Tempore Maſchiach Chriſtianorum hoſtes proſtrati ſunt, quia à Chriſto legis maledictio, peccatum, Diabolus, morsq; æterna, ſuperati ſunt, & victoria reſurrectione hominum omnibus manifeſta erit, teſte Paulo 1. Cor. 15.

Nazarethæ educari debuit & habitare. Ieſ. 11. v. 1. *Prodibit virgula è trunco ſucciſo Iſchai & ſurculus* (in Ebræo eſt נצר unde urbs Nazaretha nomen habet) *è radicibus ejus efflorebit.* Mundi Meſſias נצר ſive ſurculus, germen planta paſſim nominatur, non modo ratione nativitatis ſive originis, ſed & alluſivè ad locum, in quo Meſſias eſſet educandus, & habitaturus docente Matth. 2. 2. Talia Prophetarum vaticinia extant non modo Eſa. 11. v. 1. ſed & cap. 60, 21. Zach. 6, 13.

Chaldæus Paraphraſtes ſic reddit hunc verſum Eſaiæ: *Egredietur autem Rex de filiis Jeſſe, & Meſſias de filiis filiorum ejus creſcet.* Et ita è verbis Prophetæ colligere promptum eſt, vaticinium hoc non competere niſi in Chriſti perſonam, quia nec ante nec poſt ejus adventum talis ſurculus eſt exortus. Certè Ezechiæ vel Joſiæ aptari hoc non poteſt, quippe ſtatim ab infantia in ſpem regni fuerunt educati. Zorobabel verò ne milleſima quidem ex parte ad hanc dignitatem acceſſit, quam celebrat Propheta.

*Opinio Iudæorum refutatur.*

Debuit venire in illam urbem Jeroſolymorum, quæ à reditu populi ex captivitate Babylonicâ reædificata fuit. Nam Zachariasilli urbi, quæ tempore ipſius Prophetæ iterum ædificabatur, ad conſolationem ejus prædixit Zach. 9.9. *Exulta valdè filia Tzionis, elange filia Ieroſolymorum, Ecce Rex tuus adveniet tibi* &c.

Debuit venire ſtante ſecundo templo, quia ſecundi templi gloria major debuit eſſe, quam primi, idq; ob præſen-

præsentiam Messiæ in illo, qui in illo docere debuit: Stante secundo templo, debuerunt electi ex gentibus omnibus venire ad Messiam cognoscendum: in secundo templo pax debuit disponi, nempe inter electos ex Judæis & Gentibus omnibus de quo in secundo argumento per actum est.

Stante illâ urbe Jerosolymarum, quæ ad precationem Danielis Prophetæ reædificata est, & à Romanis destruenda erat, debuit Christus venire: Summa, Jerosolyma usq; ad Messiæ adventum stare debuerat Dan. 9. 24. usq; ad finem Zach. 9,9. & c. 14. 1. & 2. *Ecce dies ventura est Jehovæ: quum dividetur spolium tuum in medio tui. Recipiam enim omnes gentes contra Jeruschalaima ad bellum: & capietur civitas, diripienturq; domus & fœminæ comprimentur: & exeunte parte civitatis in deportationem, residuum populi non excindetur à civitate.*

At Bethlehem, Nazareth, Jerusalem, & templum Jerosolymitanum non amplius existunt.

Necesse est igitur, Regem Messiam seu Christum Dominum jam in carnem venisse & natum esse.

*Iudaica objectaum Respon.*

Nihil est, quod Iudæi de Urbis Bethlehemiticæ restauratione & ædificatione regerunt, de hâc in scripturâ Sacrâ altum est silentium, illa tacente nostrum quoquè est tacere. Propheta Michas solum de illâ veteri Urbe Bethlehem vaticinatur ut apparet è textu qui ita sanat אתה בית לחם hoc est & tu Bethlehem, quo veluti digitis demonstrat Bethlehem, quæ tum temporis sarta tecta & integra erat.

*4. Argument a Ioh. Baptist Messiæ præcursoris vera apparitione. Esa. 40.*

4. Argumentum deducitur à Johannis Baptistæ Messiæ præcursoris verâ apparitione. Antequam sese patefaceret Messias, scriptura Præcursorem pollicebatur. De hoc præcursore loquitur Esaias cap. 40. *Vox clamantis in deserto, parate viam Jehovæ, dirigite in solitudine Semitam Deo nostro.* Hæc vox fungitur vice præconis, & præcursoris, qui adventum Regis prænuncians jubet, qua venturus est ille, sternere & complanare vias, quo venientem

tem nihil impediat aut remoretur. Hic locus citatur ab Evangelistis Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Joh. 1. & Johanni Baptistæ applicatur, quasi de ipso hæc prædicta sint, nec immeritò. Fuit enim primarius inter nuntios & præcones nostræ redemptionis, cujus illa è Babylone redemptio typus tantummodò fuit, Et sanè quo tempore emersit tristis & squalida Ecclesiâ, deformitas deserto fuit similior, quam exilium Babylonicum. Sed voluit Deus apertam in deserto, ubi docuit Johannes, figuram & effigiem extare miseræ dissipationis, qua totus Ecclesiæ decor inversus & propè deletus erat. Verè ergò quod hic metaphoricè dicitur à Propheta, tunc impletum fuit; quia Johannes in rebus maximè confusis & perditis extulit lætitiæ signum. Verum quidem est, eandem vocem editam prius fuisse à Daniele, Zacharia & reliquis, sed quo propior instabat redemptio, efficaci' de eâ potuit differere Johannes sicuti etiam Christū digito ostendit Joh. 1. v. 29.

De hoc præcursore Messiæ dicit etiam Propheta Malachias: *Ecce ego mitto* Malach. 3.

*mitto legatum meum, & parabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis.* Et cap. sequenti propter ministerii similitudinem Elias appellatur, quem locum Chaldæus & R. Akiba in Thalmud ad Messiam referunt, & hujus quoq; rei vestigia in Evangelio conspicua sunt his verbis: Cur scribæ dicunt, quod oportet Eliam venire primum? S. Marcus 9. & alio loco, Es tu Christus an Elias, an unus aliquis ex Prophetis? Paulo verò antequam prodiret in publicum JESUS, exoritur in medio Israëlis Johannes Baptista, ad quem tantus factus est populi concursus, ut invidia jam procorũ omnium laboraret.

*Testimon. Iudæi Iosephi l. 18. c. 7.*

Is autem ipse est, qui in Iudæorum Chronico R Johanan Sacerdos, & quidem magnus ηαʃ' ἐξοχὼ cognominatur, de quo si Evangelio minus credunt, Historigrapho saltem suo ne derogent fidem: *Erat* inquit *vir optimus, & Judæos ad virtutis studium, præsertim pietatis & Justitiæ hortabatur, & ad puritatem tum corporis tum maximè Spiritus*

per

*per Baptismum invitabat: Sed cum Herodes confluere ad illum multitudinem, ab ejusq; ut videbatur, consilio pendere videret, tanquam defectionem anteversurus in carcerem conjecit, ibiq; paulo post capite truncari jussit. Creditum verò cum exercitus Herodis deletus & profligatus fuit, Dei justum judicium cladem illam fuisse in justam, quippe Johannis Baptistæ necem ulcisentis.* Ex hoc igitur Josephi testimonio, quale esset Johannis officium, liquet, nempè sicuti in Evangelio legimus, ut baptizaret & pœnitentiam nunciaret, aut ut est apud Malach. corda patrum ad filios converteret & filiorum ad patres.

*Object. Iudaica cum Respon.*

Antiquitùs negarunt Iudæi Christum esse Messiam, quoniam Elias nondum venerat, ut apparet ex Hieron. & Justino Matyre: & hodie nihil apud Iudæos vulgatius, quam ut à Deo precibus suis postulent adventum Eliæ, per quem intelligunt Eliam Thesbitem, ut tamdiu expectatus ipsorum Messias veniat. Ita Elias Levita in Thisbi vocabulo *Thisbi Deus*.

inquit,

inquit, *confirmet nobis* &c. & in solemnibus Iudæorum percationibus, quæ seperatim extant excusæ, habemus ejusmodi multa generatim, & ista speciatim à P. Fagio in Deut. octavo in Chaldaic. Paraph. *Misericors Deus mittat nobis Eliam Prophetam*, & in commentariis Rabbinorum iste passim versiculus in extrema quasi clausula attexitur: *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam* &c. quasi subsidium quo spem suam fulciant venturi Messiæ. Precationem gestusq; illorum, quas tempore Paschali, quo adventum veri Eliæ expectant, usurpant, Johan Buxdoffius Synagog. Iudaicæ fol. 334. &c. depictos reliquit.

R. Quod autem secundum opinionem Iudæorum apud Malach. non intelligatur Elias Thesbitis, qui Achabi tempore vixit, nec Esa. 40. alius quis, sed Johannes Baptista, evinco 1. Thestimoniis Christi, Matth. 17. 12. 13. Marc. 9. 13. Vocatur autem Ioannes Elias, non quod anima Eliæ in ipsum transmirgraverit, quod Iudaicum somnium ipse refellit, quando Hiero-

so-

solymitanis legatis quærentibus, *an sit Elias?* negativè respondet, *non sum* Joh. 12. 1. sed quia in spiritu & veritate Eliæ venit, ut exponit Angelus conceptionem ejus nuncians Luc. 1. 17. quod Johannes negat de persona, id Christus & Angelus affirmant de Officio. Spiritus enim nomen non accipitur *essentialiter*, pro anima, sed *accidentaliter*, pro donis Spiritus, sicut Elisæûs duplicẽ Eliæ Spiritũ sibi dari exoptabat 2, Reg. 2. 10. Ac testatur res ipsa, Joannẽ in multis Eliam repræsentasse uterq; in eremo vixit, Uterq; Zona pellicea cinctus fuit; uti Elias corruptissimis temporib⁹ totus in eo fuit, ut purum Dei cultum & Patrum religionem restitueret: Ita Joannes; Ut etiam Eliæ res fuit cum impio Achabo & Jezabele, ita Johannes cum Herode & Herodiade conflictatus est: Ut deniquè Elias forti & imperterrito animo munus suum obivit, ita Johannes ad mortem usquè perstitit.

2. Operibus à Johanne Baptista præstitis, Propheta Esaias c. 40, dicit,

offi.

officium ejus fore, ut viam Messiæ paret, montes & colles humiliet, prava, & incurva complanet, hoc est, emendet elatos, pravos & iniquos, quo divinæ gratiæ, quæ in Evangelio offertur, verè fiant participes, & Christus in illis sedem habeat, hæc omnia à Joanne præstita & peracta sunt. Matth. 21. alloquitur Christus Judæos & Pharisæos: *venit ad vos 10. annos in via justitiæ*, hoc intelligi potest de honesta & inculpata vita Joannis; Sic enim reddidit Syrus hæc verba: *Venit ad vos per viam justitiæ* sc. incedens, vivebat secundum justitiam. Theophilact in comment. venit ἐν ἀμέμπτῳ μίῳ. Deinde potest exponi de prædicatione & doctrina Joannis, quod Joannes veniens rectam, monstravit viam, qua ad justitiam & vitam perveniri posset. Hæc interpretatio probari potest 1. ex phrasi Hebræa; via enim justitiæ apud Ebræos interdum significat viam, quæ ducit ad justitiam Prov. 8. 1. Pet. 2. Sicut *via* vitæ est, quæ ducit ad Vitam Prov. 10. v. 17. Jer. 21. v. 8. *Via pacis*, quæ ducit

ducit ad pacem & tranquillitatem conſcientiæ Eſa. 59. v. 8. Luc. 1. v. 70. *via Salutis* quæ ducit ad Salutem Act. 16. v. 17. (2.) Ex collatione locorum Matth. 22. v. 16. Marc. 12 v. 14. Luc. 20. v. 21. ubi Phariſæi ad Chriſtum dicunt: *viam Dei in veritate doces*, hoc eſt, monſtras viam quæ ducit ad Salutarem Dei cognitionem & vitam æternam. Ita quoq; Johannes *venit per viam juſtitiæ*, hoc eſt, monſtravit viam ad veram juſtitiam & ſalutem. (3.) Ex re ipſa. Verè enim Johannes monſtravit viam, quæ ducit ad juſtitiam prædicando pœnitentiam Luc. 3. v. 3. monſtrando Chriſtum, qui eſt vera via Joh. 14. v. 6. Jer. 23. v. 6. admonendo ut facerent homines fructus pœnitentia dignos. Matth 3. v. 8.

Ex hiſce talis emergit Argumentatio:

Si via à Secundo Elia Jehovæ præparata eſt, ſequitur verum Meſſiam veniſſe in ſuum templum;

Sed verum eſt prius; quia à Johanne Baptiſta ſecundo

Elia via præparata est;
Ergò etiam consequens, videlicet quod verus Messias in templum suum venerit, inq; mundum editus sit.

5. Argumentum sumitur à Sacrificiorum V. T. cessatione sub Messia. Cum Deus collocasset Adamum in Paradiso, præcepit ei, ne comederent de fructu arboris scientiæ boni & mali: interminatione illâ adjectâ, quo die comederis de eo, utiq; morieris: *in mortis non Solum corporalis, sed etiam Spiritualis potestate eris* Gen. 2. Verum idem Dominus misericordiarum, & miserationum Pater, ne, qui suo peccato æternam pœnam meruerat, eam ex iustitiâ Dei pateretur promisit redemptorem, futurum enim ut semen mulieris contereret caput serpentis, atquè ita humano generi restitueretur Salus Gen. 3. Semen mulieris Christus, de quo scriptum est. Virgo pariet filium Esa. 7. *qui propterea Jesus vocatus est, quod servaturus esset populum suum à peccatis suis* Matth.). id-

5. Argument. a Sacrificior. V. T. cessatione.

què

què *subeundo mortem populi suipeccato debitam.* Quemadmodum Esa 53. luculentissimè docemur: *Castigatio pacis nostræ imponitur ei, & tumicè ejus fit curatio nobis.* Hoc autem Christus effecturus exponendo seipsum Sacrificium pro reatu, ut eodem capite sequitur. Cujus rei memoria, quo firmius imprimeretur animis fidelium ad perpetuum exercitium pœnitentiæ & fidei, Sacrificia instituta sunt, tanquam signa visibilia illius sacrificii, quod oblaturus erat Christus in cruce.

Hæc sacrificia sive expiatoria, sive eucharistica sunt propriè dicta Sacrificia, quæ per se non placebant Deo, neq; requirebantur, sed tanquam signa rerum, quæ placent Deo. Itaq; ut signa erant rerum futurarum Hebr. 8. & 10. *Lex umbram habens futurorum bonorum non ipsam expressam formam rerum:* atquè cum res ipsæ implerentur, quæ adumbrabantur Sacrificiis, oportuit cessare signa & sacrificia propriè dicta. Erant e-

nim imposita usq; ad tempus reformationis Ebr. 9, 10. & omnia facta erant ad exemplar in monte Ebr. 8, 5.

De horum sacrificiorum futurâ cessatione & abrogatione loquitur

Ier. 3. 16. Jer. cap. 3. *Cum multiplicati fueritis & creveritis in terra in diebus illis, ait Dominus: non dicent ultra Arca testamenti Domini: neq; ascendet super cor, neq; recordabuntur illius nec visitabitur, nec fiet amplius sacrificium.*

Malachi, 1. Item Malach. cap. 1. *Abortu enim solis usq; ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.*

Dan 9, 26. Item Daniel cap. 9. *Post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & in dimidio hebdomadis abolebitur munus & sacrificium.* Per mortem autem Christi abolitum esse sacrificium & munus, confirmatur ab Apostolo ad Ebræos totis nono & decimo capitibus; ubi docetur, Christum sui unius immolatione & sacrificio, omnia Mosaica sacrificia aboleviſſe & finem illis imposuisse.

*Sacrificia abolita.*

Exod. 29, 38 Exod. 29. præcepit Deus Mosi, ut offerres agnum unoquoq; mane & unoquè vespere, quem

quem agnum respexit Joannes Baptista, cum ad Christum intendens digitum diceret *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi*, agnus qui tanquam mutus coram tonsore non aperuit os suum, ut Esaias cap. 53. alludit ad dictum Mosis: Quemadmodum & Philippus ipsa verba Mosis interpretatus Eunucho Act. 8. Simila, ex qua purissimus panis conficitur atquè vino ad libamen in quotidiano sacrificio Christus etiam adumbrabatur. Est enim Christus panis, potus nos ad reficiendos, atquè nutriendos in vitam æternam: teste ipso Joh. Sexto: *Ego sum panis ille, qui è cœlo descendit, ut qui eo vescitur, non moriatur: panis quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita, caro mea verè esticibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quamobrem ista quoq; eodem ritu immolata sunt, quo agnus ipse, & quasi morte quadam consumpta, cum simila igne cremaretur, vinum ad altare Domini effunderetur: ut omni ex parte intelligamus, Christum esse sacrificium Joh. 6. 41.

cium verè propitiatorium pro redemptione omnium; Et ut in pauca conferam, quicquid typicè sacrificia præstiterunt, hoc perfectissimè Christus consummavit. In pecora sacrificialia conijciebantur peccata hominum Lev. 16. pro peccatis hominum expiandis fundebatur & adolebatur sanguis pecorum sacrificialium, quorum anima seu vita est in ipso sanguine, ut ita vita pecorũ daretur pro vita peccatorum ex divinâ clementissimâ ordinatione Lev. 17. Pecorũ sacrificialiũ combustione per sacerdotẽ jussu Dei administrata expiabatur peccator, & remittebatur ei peccatum Lev. 1. & 4. Sic dicuntur de Christo omnia, quæ prædicantur de sacrificiis, Pater conjecit in eum omnium hominum peccata, ipse etiam portavit omnium nostrum peccata & iniquitates, factus fuit talis, cui non erat forma, nec decor, nec aspectus, factus est sacrificium pro peccato, Esa. 53. excisus fuit ad tollendum peccatum Dan.

Levit. 16, 21

Levit. 17. 11.

9. Vnde

9. Vnde Joh. 1. Ecce agnus Dei, qui portat peccata mundi: Christus peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum 1. Pet. 3. tradidit semet ipsum per oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ Eph. 5. Redemit nos à maledicto legis, factus pro nobis maledictum Gal. 3 Traditus propter peccata nostra Rom. 4. Sacrificia ergò typica sacrificio Christi impleta & abrogata esse cerduntur. Notandum tamen abrogationem legum ceremonialium non esse factam uno momento, sed sicut August Epist. 9. docet; triplex in Ceremoniis Mosaicis observandum esse tempus, unum vitæ ante Christi passionem, in quo erant Iudæis ob Dei mandatum necessariæ, vigebantq; ad Joannem Matth. 11. Alterum agonis à Joanne Baptista vel passionis Christi ad plenariam Evangelii in orbem universum promulgationem, Ecclesiarum N.T. constitutionem, in quo erant liberæ, ac morti vicinæ, vel etiam mortuæ, nullam

*Triplex in cerimoniis Mosaicis observandū esse tempus.*

lam vim ad vitam habentes, sed non mortiferæ, quia pro ratione infirmorum poterant usurpari citra opinionem necessitatis ad Salutem: Tertium mortis à tempore promulgati Evangelii & constitutarum Ecclesiarum, quando factæ & censendæ sunt mortiferæ.

*Testimonia Rabbinorum.* *Omnia cessabunt & desinent tempore Messiæ sacrificia, uno excepto laudis & confessionis sacrificio ait* Midrasch: idem dicit Rabbi Moyses de Ægypto. in libr. More.hamph, intertio tractatu, ubi de causis præceptorum agit. Idem Midrasch de Sabbatho: *Qui præceptum à Deo nunciat, Sabbatum rumpere potest. Sicut & Jesus filius hominis Dominus est Sabbathi*: Et de animalium discrimine: *Quod cunq; animal hoc seculo* impurum censetur, in altero, id est, sub Messiâ, purum erit, ut quondam filius Noæ. Rationem verò addunt, quod Deus eâ ratione explorare solummodo voluit, quinam verbum suum amplexuri essent? Quin ait R. Hadarsan: *Non ulla est lex magis*

*gis diserta, quam quæ de menstruo muliebri, & hæc in regno Messiæ cessabit.* In Beresit Rabba, à Rabbi Moyse hæc verba habentur: Quid docet nos Psalm. 45. dicens: *Dominus solvit compeditos, omnia animalia, quæ fuerunt prohibita, velut immunda, in hoc seculo Deus mundificabit, atq; licentiabit in futuro tempore Messiæ. Sicut filiis Noæ primitus munda erant, ut scribitur Gen. 9. ubi habetur: & omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, sicut olera virentia, tradidi vobis omnia, herba omnibus licentiatur, sic etiam animalia omnia erunt licentiata. Et sic ad tempus Messiæ erunt omnia, quæ prohibuit, licentiata. Quod si dixerit aliquis, quare ergò prohibuit ea in hoc seculo?* Respondeo, *ut videret qui sint illi, qui illius mandata servarent, & qui non & hoc, Dominus solvit compeditos, non est major probatio aliqua, quam mulier menstruata, quam Deus tempore Messiæ licentiabit. Sunt autem aliqui dicentes, quod etiam coitus in aliquibus temporibus tempore, Messiæ prohibebitur, quod sic probant pro una die duntaxat, in qua Deus in monte Synai populo se ostendit, prohibuit eis Moyses, ne ad*

*mulieres per tres dies se extenderent, nec accederent. Multo magis tempore Messiæ, quo Dei gloria manebit inter illos. Quid ergò est, Dominus solvit compeditos? Hi sunt, qui captivi sunt inferni, captivique mortis.* Hi & alii complures Rabbini sacrificiorum tempore Messiæ cessationem asserunt.

*Objectio Iudæorum Responsio.*

Judæi hoc ut enervent Argumentum propugnant ceremoniarum Mosaicarum perpetuitatem & aiunt (1.) Unus & idem Deus, & quidem uno & eodem tempore, totam legem moralem pariter & ceremonialem promulgavit: aut igitur tota lex cum omnibus suis partibus abrogata est aut tota retinenda. (2.) Legis ceremonialis perpetuitas toties adstruitur, quoties aut circumcisio, fœdus sempiternum Exod. 31, 16. aut Pascha cultus sempiternus Exod. 12. v. 14. aut feriæ, oblatio frugum, lucernarum accensio, panum propositionis oblatio, & deniq; totus cultus Leviticus vocatur cultus sempiternus, præceptum sempiternum, ritus perpetuus Lev. 23. v. 13. 14. seqq. Exod.

Exod. 29, v. 9. & 40. v. 13. (3.) Deus est immutabilis Malach. 3. v. 6. Esa. 40. v. 8. Psalm 89. v. 35. Job. 33. v. 14.

Respondetur.

I. Veluti negari nequit, Deum autorem esse Legis Moralis, Iudicialis & Ceremonialis: Ita viciſſim certum est, Deum nec pari solemnitate promulgasse Legem moralem & ceremonialem, nec æquale durationis tempus illi & istis præfiniviſſe. Dispar solemnitas promulgationis legis moralis, & legum iudicialium & ceremonialium è libris Mosaicis manifesta est. Nam Deus singulari solemnitate Exod. 19 immediatè dedit legem moralem toti populo Deut. 5. v. 22. illamq; suismet digitis scripsit Exod. 32. v. 15. atq; ut in arca fœderis asservaretur mandavit 1. Reg. 8. v. 9. Ebr. 9. v. 4. At legem Iudicialem & Ceremonialem nec ipse Deus immediatè promulgavit, sed intermedia Mosis opera Deut. 5. v. 31. nec ipse sermones istos scripsit, sed Mosis Exod. 24. v. 4 Deut. 31. v. 9. nec in arca fœderis asserva-

ſervatæ ſunt leges Ceremoniales, & Iudicialesſed cuſtodiæ Sacerdotum & Regis commiſſæ fuerunt, Deut. 17. v. 19. Deut. 31. v. 9. Æquale autem durationis tempus Legi Morali, & Legibus Ceremonialibus Judicialibuſq; non fuiſſe præſcriptum, pluſquam certum eſt, de perpetuitate legis Moralis ſatis ſuperq; conſtat in codice Bibilico, rotunda Chriſti aſſertio eſt: *Præteribit cœlum & terra, ſed Iota unum aut apex è lege non præteribit* Matth. 5. Lex enim moralis non tantum Iudæis ad ſervandum præſcripta eſt Deut. 12. v. 8. c. 5. v. 32. Num. 15. v. 39. Ezech. 20. v. 18. Sed etiam ejuſdem obſervatio omnibus & ſingulis Chriſtianis ſtudioſè commendata eſt à Chriſto & ab Apoſtolis Matth. 19. v. 17 Rom. 6. v. 13. Rom. 7. v. 25. Rom. 12. v. 12 c. 13. v. 9. Jacob. 2. v. 8. Conſtitutiones verò Leviticas non niſi ad certum tempus duraturas fuiſſe, non obſcurè indicat Moſes Gen. 17. v. 9. quando verba Jehovæ ad Abraham repetit: *Tu ergo Abraham fœdus meum ſervabis, & ſemen tuum*

*tuum post te in generationibus suis* &c. hoc est, interprete Ebr. 9. v. 10. μέχρι καιροῦ διορθώσεως usquè ad tempus correctionis. Quare Hieronym. Augustin. nobis in Novo Testamento viventibus hanc præscribunt regulam: Mandata quæ ad vitam & mores pertinent corrigendos, debemus observare. Quæ autem ad ceremonias & ritus sacrificiorum pertinent debemus relinquere. *Hieron. dialog. adversus Pelag. Augustin. contra duas Epist Pelag. c. 4. t. 7.*

II. Vox עולם seculum, sive æternitas non semper accipitur de infinitâ æternitate, aut absolutâ durationis perpetuitate, sed quodcunquè longioris temporis spacium exprimit, cujus duratio est abscondita, descendit enim à radice עָלַם abscondidit, ergò pro subjectâ materiâ duratio illa intelligenda est. Exod. 21. v. 6. Deut. 15. *Erit tibi servus* לְעוֹלָם *in perpetuum*, ubi denotatur ambitus durationis vitæ, vel potius serviet usquè ad annos Iubilæi, ut in Midas Elle Haddessarim cap. 15. exponitur. 1. Sam. 1. dicitur de Samuele: *Habitabit*

*bit ibi in seculum per omnes vitæ dies*, vel usquè in seculum Levitarum, quod 50. annis absolvebatur, ut exponit R. Salomon. Ier. 25. prior captivitas & eversio Hierosolymæ dicitur *solitudo perpetua*, cum tamen ibidem v. 11. ad 70. annos restringatur, Eccls. 3. *Opera Dei perseverant in seculum*, hoc est, habent determinatum suæ durationis ambitum. Eodem modo usurpatur in illis dictis, quæ nobis objciuntur, videlicet non de absolutâ perpetuitate sed de longævâ periodicâ tamen durationc.

III. Deus ob abrogationem legum ceremonialium neutiquam statuitur mutabilis. Num mutabilis ille, qui promittit & præstat, dicit & perficit, figurat & exhibet, inchoat & absolvit? annon constantissimus, qui suo tempore juxta omnes circumstantias solvit & absolvit, quicquid populo suo promisit? Dixit: *Circumcidite mihi omnem masculum*, hoc signum fuit, sed dixit & idem: *Circumcidet corda vestra, & corda posterorum vestro-*

*vestrorum*, hæc signi significatio, Iesus autem circumcisus fuit, quia nimirum natus sub lege, & circumcidit porrò corda vestra, quando utiquè regenaravit, videlicet, quatenus venit, ut legem perficeret. Et verò, quod circumcisio non perseveraverit, præsertim post vocatas in Ecclesiam gentes, cui mirum? quando quidem non est jam peculiaris populus ullus, nec proinde fœderis charactere est opus, quo peculiaris ille populus insigniatur. Dixit etiam Deus? *Accipite juvencam pro peccato* Deut. 21. Item, *Capiat sibi quisq; agnum* &c. Exod. 12. Sed & idem *postulat ejusmodi Sacrificium, quod est cor contritum, & humiliatum* ψ. 51. *ejusmodi sacrificium, quod Messias paravit, cum tanquam agnus ad locum mactationis duceretur, & susciperet in se omnia peccata hominum* Esa. 53. Mater igitur oblationem suam templo ad purificationem sui, intulit & filium, sicut præceptum in lege; *Omnem masculum aperientem vulvam* &c. quia Jesus natus sub lege, verum Jesus ipse crucifixus pro peccatis nostris imple-

implevit sacrificium unicum, & universum à multis in lege sacrificiis designatum, ac portinus oblationibus & sacrificiis ejusmodi imposuit finem; quia nempe venerat, ut ceremonias legis consummaret nosquè omnes ab earum jugo liberos faceret. Hæc quia vera sunt, quis ergò Deum levitatis & inconstantiæ arguat, ut quod dictum indictum, quod modò erat ratum, invitum esse velit.

Ex hisce talis esurgit Argumentatio.

Si Sacrificia V. T. sub Christo finem sortita sunt, sequitur Christum esse verum Messiam.

Sed verum est Antecedens. Ergò etiam consequens.

*6. Argument. à Divinit: & Humanitatis Messiæ assiberationi*

6. Argumentum Sumitur à Divinitatis Humanitatisq; Messiæ asseveratione. Messiam verum hominem fore extra dubium ponunt Iudæi, at illum θεάνθρωπον, Deum & hominem simul esse posse ut credant, in animum inducere nequeunt. Verum enim verò Messiam ut hominem

hominem in tempore nasci, & verum Deum ab æterno esse debuisse, nostrumq; Messiam esse talem, ex collatione Veteris Testamenti cum Novo satis superq; pespicuum est.

Deut. 31. *Jehova dixit mihi, non es transiturus Jordanem hunc, Jehova Deus tuus, is qui transit ante te, ipse exscindet Gentes istas à conspectu Dei.* At hic idem dicitur esse Angelus ipse Dei Exod 23 v. 20. 21. &c. *Ecce ego mitto Angelum ante te ad servandum te in hâc viâ, & ad introducendum te in locum illum, quem præparavi, cave tibi ob præsentiam ejus, & ausculta voci ejus, ne exacerbes eum: quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo. Nam si sedulò ausculta veris voci ejus, & feceris omnia, quæ edicam, planè inimicabor inimicos tuos, & hostiliter agam cum hostibus tuis. Quum iverit Angelus meus ante te, & introduxerit te in terram Emorai & Chittæi* &c. *& excidero eum.* Hunc autem Angelum esse Christum, docet Paulus 1. Cor. 10. v. 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentarunt,

& à serpentibus perierunt. Ita quem Paulus appellat CHRISTUM, Moses vocat Angelum Dei, & Jehovam Deum Israëlis. Hoc notat *Justinus Martyr* Dialogo cum Tryphone Judæo pag. 234. & Cyprianus Martyr Testimon. lib. secundo adversus Judæos c. 5. Psalm. 47. *Adscendit Deus cum clangore Jehova cum sono buccinæ*, cui παραλλήλον est Psal. 68. v. 18. 19. 20. *Curruum Dei duæ sunt myriades, millia multiplicia: Dominus cum illis est, Dominus Sinai in Sanctuario habitans. Ascendens in sublime, captivam fecisti captivorum multitudinem, accipiens dedisti bona hominibus: etiam rebelles habitando captivos facis, Jah Deus benedictus Dominus, qui quotidiè onerat nos donis, Deus ille fortis, Salus nostra* &c. Christus autem is est qui ascendit in cœlum, & dona dat hominibus teste Paulo Eph. 4. v. 7. Christus igitur est is, quam Psaltes absolutè vocat Deum.

*Justinus Martyr Dialog. Cyprianus Martyr Test. lib. 2. ad versus Judæos.*

Esa. 7. & 8. Filius Dei seu promissus Messias vocatur *Immanuel*, hoc est, nobiscum Deus, id de Christo interpretatur

tatur Angelus Domini Matth. 3. v. 23.

Esa. 40. *Vox clamantis in deserto: parate viam Jehovæ, adæquate in solitudine aggerem Deo nostro.* Quemadmodum illum præconem clamantem voce esse Johanem Baptistam: ita hunc Jehovam, hunc Deum nostrum esse, Filium Dei Christum Dominum, docet Angelus Gabriel Luc. 1. *Multos filiorum Israël convertet ad Dominum Deum ipsorum. Nam ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in filios & rebelles ad prudentiam justorum, ut paret Domino populum instructum.* Docet Zacharias Pater Johannis Baptistæ ibidem: *Tu verò puerule, Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, ut pares vias ejus.*

Esa. 52. *Quam speciosi sunt super istos montes pedes Evangelizantis pacem, evangelizantis bonum, pronunciantis salutem, dicentis Sioni: Regnat Deus tuus.* Hoc, *quid aliud est, quam quod Apost. Petrus dicit Act. 2. Certò sciat domus Israëlis quod Deus hunc fecerit Dominum, ex Christum*

*ſtum, hunc ipſum inquam Jeſum, quem vos crucifixiſtis. Quod evincit, &* teſtimonium Pauli Rom. 10, 15, 16.

I. Pro Divinitate Meſſiæ, qui eſt Salvator noſter Chriſtus dimicant teſtimonia in quibus abſolutè nominatur & dicitur Jehova. Nomen Jehovæ & Dei, Solum omnium creaturarum conditori vero Deo attribui, fundatur in his Scripturæ locis Exod. 3. v. 15. c. 6. v. 3. Eſa. 42. v. 8. c. 43. v. 11. Oſe. 12. v. 5. & in loco illo egregio Pſ. 83. v. 19. ubi Pſalmiſta in hæc verba prorumpit אתה שמך יהוה לבדך Atta ſchimcha Jehovah lebaddecha: Tu nomine tuo ſolus Jehova. Monent Gramatici. 1. apud Hebræos inſervire formationi nominum propriorũ, tum etiã nomen Jehovæ nunquam legi cum ה Emphatico vel indicativo. 2. nunquam legi cum affixo. 3. nec habere plurale, atquè inde colligunt eſſe Dei proprium, vide Petrum Fabrum de Divinis nominibus. Nomen autem Jehovæ competere Meſſiæ, qualis eſt noſter Salvator, è ſubſequentibus locis, quæ in Veteri Teſtamento de vero Deo & Jehovah enuncian-

ciantur, & in Novo ad Christum accommodantur, elucet Jer. 23. v. 5. *Ecce dies veniet dicit Dominus, & suscitabo David Germen justum, & regnabit Rex & hoc est nomen, quo vocabunt eum Jehova justitia nostra. Similis sententiæ* Rom. 9. *Christus est Lex Patribus secundum carnem qui est Deus benedictus in secula.* 1. Joh. 5. v. 21. Joh. 20. v. 29. Confer etiam Num. 14. v. 22. & 21, v. 5. cum 1. Cor. 10. v. 9. Job. 19. v. 25. cum Joh. 5. v. 28. Esa. 6. v. 1. 4. cum Joh. 12. v. 41. Ose. 13. v. 14. cum 1. Cor. 15. v. 55. 57. Zach. 12. v. 10. cum Joh. 19. 37. Apoc. 1. v. 7.

Pro Divinitate Messiæ dimicant essentialia Dei attributa, quæ cum Essentia sunt realiter ταυτὸ in Deo veluti Omnipotentia ψ 68. v. 15. Joh 5. v. 19. Omniscientia. Prov. 8. v. 1. Coloss. 2. v. 9. & alia quæ omnia ambitu suo complectitur *æternitas*, de quâ unicum tantùm videamus locum Joh. 8. Antequam Abraham erat, ego sum. II.

Pro Deitate Messiæ dimicat opus creationis, quod exclusivè æterno Deo atribuitur Ier. 10. Psalm. 33. Verbo Jehovæ III.

væ cœli facti sunt & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum. Per ל Verbum intelligi Messiam Salvatorem, affirmat Joannes cap. 1. v. 2. ad opus Creationis pertinet & opus Conservationis, Gubernationis, quia utrumq; est infinitæ potentiæ opus, à quo Messias non excluditur Ebr. 1. v. 3.

I. Pro Humanitate Messiæ dimicat dictum illud Esa. 7. Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabit (ipsa mater sive virgo) nomen ejus Emanuel, hoc est, Deus nobiscum. Quæ Emanuelis appellatio duarum in Persona Messiæ naturarum unionem luculenter evincit: quarum una sit divina ratione cujus אֵל hoc est Deus nominari debeat: altera verò humana respectu cujus עִמָּנוּ hoc est nobiscum vocandus sit.

II. Pro Humanitate Messiæ pugnant Propheticæ prædictiones, quæ humanam Messiæ in tempore assumptam naturam instar surculi vel fruticis describunt. Promissio iurata Davidi facta est à Jehova Psalm 132. v. ult. אַצְמִיחַ permi-

perminare faciam cornu David. Repetitio promissionis hujus habetur Jer. 23. v. 6. Suscitabo David germen צֶמַח justum: quod ipsum exponitur Jer. 33. v. 15. אַצְמִיחַ germinare faciam ipsi David צֶמַח germen justum. Hinc nomen Messiæ ortũ quod צֶמַח germen dicitur Esa. 4. v. 2. Zach. 3. v. 8. & nomẽ ejus צֶמַח germen c. 6. v. 13. non tantũ, quia subter eum germinabit, ut ibidem subjungitur, sed etiam qui ascendet ut tener ramus coram eo & sicut radix siccitatis Esa. 53. v. 2. quia aperiet se terra, & fructificabunt Salus & justitia germinare faciet simul Esa. 45. v. 8. & clarissimè Esa. 11. quia egreditur virga de stirpe Isai & surculus de radicibus ejus crescet. Cum prophetiis hisce meritò figuras, ut picturas fulgentissimas conjungimus: in monte Horeb videt Moses rubum ardere igne & rubum ipsum non consumptum Exod. 3. ubi juxta Cyrillum rubus ex terrâ ortâ humanitas est, quæ ab igne Divinæ Majestatis in unione non est absumpta. Virga Aaronis Num. 17. una nocte viret, floret & fructum affert: ad significandum fore, ut

in nocte natalitia virga arida ex radice Jesse, vireat in assumptâ humanitate. Lignum à Deo mostratum in aquas projecit Moses, & dulcuerunt aquæ Exod. 15. quo significatur Carnem Christi tanquam lignum dulce in aquas crucis conjectam, amaritudinem è peccato hominum ortam, sublaturam esse.

Vaticinio complementum respondet & seipsum Christus Luc. 23. viride lignum appellat, juxta Gregor. 12. mor c. 4. lignum propter humanitatem; Viride quia in se habuit divinitatem vel juxta Bedam, quia peccatum non fecit, lignumq; vitæ est, verè lignum illud vitæ, quod est in medio Paradisi Dei Apoc. 2. v. 7. faciens fructus duodecim per mensem unum, quemquè reddens fructum suum, & folia ligni hujus ad sanitatem gentium Apoc. 22. v. 2.

*Rabbinorum. Testimonia R. Moyses super ult. Cap.*

Rabbini ipsi & Divinitatem & Humanitatem Messiæ asserunt. Hæc in Berezit Rabba R. Moyses prædicatoris sunt supra illud Threnor cap. ult. ver. ba;

ba: *Pupilli facti sumus absq; Patre dicit R. Barachias: Deus ad Israël sic ait: vos dicitis, vos esse pupillos sine patre. Talis erit Mundi Redemptor, quem ex vobis suscitabo, quia non habebit Patrem, sicut scriptum est Zach. 6. Ecce vir oriens nomen ejus, & super eum orietur &c. Et Esa. 53. & ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti. Et de ipso dicit David: Ante luciferum, genui te. Et alibi: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* In libro vocaot Midras Sirhasirim, hoc est, glossa libri Canticorum c. 3. hæc verba reperiuntur: *Egredimini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Dicit *Rabbi Ahuna investigavimus per scripturam universam, & non invenimus, quod Bersabe Salomoni filio suo diadema fecisset. Est igitur stupendum, quid Diadema illud significare velit, Dicit Rabbi Johanna. Quæsivit Rabbi Simeon à Rabbi Elyeser, filio Rabbi Joseph, dicens: Audivisti unquam à Patre tuo, quid esset diadema illud,*

*quo fuerit Solomo à matre sua coronatus!? Qui respondit: etiam, & ille, Quid? & R. Elyezer iste Solomon est Deus, qui à principio diligens Israël, vocavit eos filia ut haberetur in Psalmo quadragesimo tertio. Audi filia & vide, Deinde pro majori dilectione vocavit eos soror* Cant 5. *Aperi mihi soror mea.* Postea jam eos summe diligens vocat eos mater Esaiæ c. 51. *Attendit ad me populus meus, & tribus mea, mater mea, Eadem hora Surgens Rabbi Simeon, osculatus est eum in capite; dicens, posito quod non verè, nam nisi quod hoc verbum audiverim, sufficit mihi.* Vulgare in Thalmud est; quod uticunq; in Canticis nominatur Solomon, dicatur de Domino Deo, itaquè Diadema, quo Solomon à matre coronatur, humanitas intelligitur, quæ divinitati est unita, & pro totius mundi Salute passa & ideo æternaliter coronata. De quo Apostolus: *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* In libro vocato Thorach Chohanim, id est, lex Sacerdotum talia leguntur: quod sonat illud Levit 26. *Ambulabo*

*Testimonia*

*inter*

inter vos, & ero vester Deus, vosq; eritis mihi populus. Simile est istud cuidam Regi, qui perambulat hortum suum ad delectationem & Solatium habendum, quem cum hortulanus vidisset, abscondit se, & rex dixit ei: Noli timere, nec abscondas te à me, quia similis tui sum. Similiter tempore futuro, Deus ambulabit inter justos, ut Solatium recipiat & delectetur cum illis; justi autem videbunt illum & expavescent ab eo, quibus Deus utiq; dicet: Nolite formidare de me, quia similis vestrum sum. Attamen licet vobis similis existam ne fortè credatis, quod timor meus non sit super vos, scitote, quod Deus vester sum, vos autem populus meus. In libro jejuniorum, cap. tribus temporibus habetur: Dixit Rabbi Eliazar nomine Rabbi Haneabur, futurum est, ut Dominus Deus noster magnam choream cum justis faciat in Paradiso & ipse erit in medio illorum, ita ut eorum quilibet possit eum digito insinuare. Quia sicut habetur Esaiæ c. 25. Dicent in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum: & Salvabit nos iste Dominus, sustinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in salutari ejus. Humanitat. M. ss.

In

*In quantum bis dicitur, iste ostenditur, quod visibiliter & palpabiliter debebat apparere inter justos qui sunt Apostoli.* R. Jo. ses Gallicus tradit in Threnis, Messiam apellatum iri Patrem æternitatis, Principem pacis &c. in quam sententiam cap. 9. v. 6. Esaiæ adducit: ut & autor Bereschit Rabba, is autem quem Rabbi Hacadosch, i. e. sanctum vulgò vocant, diserte ait, Messiam quatenus Deus & homo vocandum Emanuelem; quatenus Deus admirabilem & consiliarium; quatenus potens, Ghever, id est, robustum; quatenus æternus, æternitatis principem; quatenus pax sub eo multiplicanda; principem pacis; quatenus laqueis inferni animas expeditus esset, expeditum quatenus salvas facturus Jesum.

*R. Ioses Gallæus Thren c. 1. 16.*

*R. Hacadosch*

*R. Simeon Ben Iohai.*

R. Simeon Benjohai in commentariis illis suis in Genesin, lingua Hierosolymitanâ conscriptis, perspicuè tradit, misericordiam seu timorem Dei corp. assumpturam in utero mulieris, & coronatum iri in perpetuum, in Regem antiquum antiquorum. Decretum enim fuisse, ut corpus & fœmina si-

simul incorporarentur (& hæc ex antiquissimo libro profert) quod tertio demum seculo, id est, tertia Ecclesiæ periodo, complendum sit, cujus sancti corporis medio, seu interventu mundus superior inferiori conjungatur.

Tum verò fore, ut Deus in his inferioribus non secus quam in superioribus Sanctificetur, & ut Sanctus Spiritus tanquam ex vagina prodeat, id est, explicetur: & hæc porro unum esse, nimirum Jehovam ipsum. Deniq; mulierem ex quâ sanctum verbum corpus assumpturum erat, & homo ille plenus fide proditurus, inter omnes mulieres sanctam & benedictam fore. Quod autem iis verbis incarnationem Messiæ designatam voluerit, liquet, in Thalmud enim Schola R. Hanina de nomine Messiæ interrogata: *Hanina*, inquit. i. e. *misericordia nomen ejus.* Ut & Prophetæ ipsi per misericordiam Messiam sæpè intelligunt. Alius Cabalista peccatum per Messiam abolitum iri tradit, qui inquit, ipsa Dei virtus erit, idq; sapientiæ Spiritu, quo replebitur, perficiet. *Thalmud in tract. Sahed. c. Hales*

Ad-

*Objectt. Iudaicæ cum Resp.*

Admissâ humanitate recentes Iudæi impugnant ejus Divinitatem, cæteris silentio suppressis dictis cum novellis Photinianis ad Jerosolymam referendo Jehovæ nomen Jer. 33. v. 16. Ut ergò non dici potest aiunt: Jerosolyma est verus Deus, etiamsi nomen ipsi tribuatur; ita nec de Messia id dici potest. R. Textus in Ebræo sic habet וזה אשר יקרא לה יהוה צדקנו Vese Ascher iikra loh Jehova Zidkenu. Pronomen לה Fœmininum est adeoq; ad Urbem Ierusalem refertur: nequaquam tamen inde sequitur, quod magnum nomen Jehova, de civitate Hierusalem enuncietur, Nam ad verbum reddendum ita: Et hic qui vocabit vel convocabit illam sc. Jerusalem vel Ecclesiam est Jehova justitia nostra. Si proprietatem linguæ sanctæ rectè examinemus. Quod sic deduco: Primum inculco idiotismum linguæ Ebrææ: Tertiæ personæ verba quandoq; accipiuntur impersonaliter, ut Gen. 16. v. 14 *Propterea vocavit* (sc. unusquisq;) *puteũ illum viventis & videntis me.* Rursus Gen. 21. v. 31.

Gen. 21. v. 31. *propterea vocavit* (sc. unusquisq;) *locum istum Berseba*, quia ibi juraverat Abraham Abimelech: pro vocatus est ille puteus, puteus viventis, videntis me, vocatus locus Berseba; Qui Hebraismus inde suam habet originem, quia per Ellipsin vocula אִישׁ Vir vel unusquisq; frequenter omittitur, sed in Germanica lingua semper exprimitur **Man sagt / Man schreibet / Man ist.** Latinis inpersonaliter; dicitur, scribitur, editur. Hoc primum gradum sternit explicationi.

Deinde exeutienda est Significatio verbi קרא quod frequentissimè significat idem, quod annunciare, prædicare vel ore vel scriptis. Exempla sunto Jos. 8. v. 34. Et Josua *proposuit, recitavit* קרא omnia verba legis benedictionem, maledictionem. Sic Levit. 25. v. 10. *Et sanctivicabitis annum quinquagesimum & promulgabitis* וקראתם *libertatem in terra cunctis habitantibus.* Elegantissimus locus est Esa. 40. v. 2. 3. *Loquimini ad Cor Jerusalem & prædicate ei* וקראו אליה *quod completa est militia ejus.*

Vide

Vide similia loca Esa. 61. v. 1. Neh. 6. v. 7. Unde hanc elicio prophetici dicti explicationem, *quod prædicabitur illi* HIEROSOLYMIS Jehova JUSTITIA NOSTRA. Germanicè fortè ita reddideris: Und man wird ihn predigen der HERR unser Gerechtigkeit. Ex quo manifesta est, quod nomen Jehova non referendum sit ad urbem Hierusalem, nec hunc sensum admittat, quasi Deus Pater Jehova nostra Maschiach nomen germinis Davidici sit inditurus, affirmantibus non nullis Judæis.

In subsidium provoco R. David Kimchi cognitione linguæ sanctæ insignem virum testantibus libris ejus Dikduk & Michol, nec contradicentibus Iudæis ipsis, qui hanc Prophetiam refert ad Maschiah inquiens: ישראל יקרא המשיח בזה השם יהוה צדקנו Israël vocabit eum (Maschiah) hoc nomine Jehovam nostram justitiam.

Equibus talis Argumentatio fluit: Qui secundum scripturas est verus Deus & Homo, is est verus Messias,

Noster

Noſter Salvator eſt verus Deus & homo,
E. Noſter Salvator Ch. eſt verus Meſſias.
Et per conſeq. Meſſias editus in mundum.

Septimum Argumentum ſuppeditat nobis humilitas & paupertas Meſſiæ. Zach. 9. Propheta Iudæos ad maximum gaudium invitaturus illos ita alloquitur: Exulta valdè Filia Sion, jubila filia Ieruſalem: Eccè Rex tuus veniet tibi juſtus. mitis ſive pauper, Sedens ſuper aſinum & ſuper pullum filium aſinæ. Hujus vaticinii complementum declaratur Matt. 21. v. 5. Joh. 12. v. 15. Præterea Meſſiam Salvatorem noſtrum fuiſſe humilem & pauperem, affirmat Chriſtus ipſe Matth. 8 de ſe ipſo inquiens: *Vulpes luſtra habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Paulus Doctor gentium de paupertate hâc ejuſmodi edit teſtimonium 2. Cor. 8. *Noſtis beneficentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod propter vos pauper factus ſit, cum eſſet dives, ut vos illius paupertate diteſceretis.* Humilitatem Chriſti ſubindicant ejus Sympatriotæ Matth. 13. Nonne, inquiunt, iſte eſt ille Fabri filius

7. Argument. ab Humilit & paupertat Meſſiæ

lius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joses &c.

*Rabbinorum. Testimonia*

Prophetam Zachariam cap. 9. de Messia loqui, non negant Rabbini. Rabbi Salomon in glossâ suâ, non posse ait Prophetiam hanc exponi, nisi de Rege Messia, additur; *& dominium ejus à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad fines terræ*, qualis dominator in domo secunda, hoc est, tempore secundi templi non est in vent⁹. R. Moses Hardarsam in explicatione Genes. super illud quadragesimo nono capite ejusdem libri dictum: *Ligans ad vitem pullum suum* &c. sic dicit: *Cum venerit Messias in Jerusalem, ipse erit cingens asinum suum, & equitabit & super eum veniet in Jerusalem: ut ducat seipsum in paupertate vel humilitate, sicut scriptum est* Zach. 9. *Pauper & humilis, equitans super asinum vel asinam.* In Bereshith Rabba super illud Gen. 49. scriptum: *Non recedet sceptrum de Juda*, cum cæteris ita legitur. *Non recedet sceptrum de Iuda:* Hic est Rex Messias Filius David, qui venturus est ad confringen-

*Galatin. de Arcan. Cath veritat l. 8. c. 9.*

dum

dum regna cum virga, sicut dictum est Psalmo secundo: *Confringes eos virga ferrea, & tanquam vas figuli projicies eos.* Sequitur. *Et scriba vel contritor de medio pedum ejus. Hic est etiam Rex Messias, qui venturus est ad conterendum gentes pedibus suis. Quemadmodum dictum est Esa. 26. Conculcabit eam pes pedum pauperis; iste enim pauper est Messias, de quo dictum est Zach. 9. Pauper & equitans super asinam.*

Iudaica cœcitas atq; superbia usq; adeo errat, ut propterea Dominum Jesum Salvatorem nostrum Messiam esse, negent, cum humilis pauperq; de Prophetia Zach. fuerit; Qui potest esse, aiunt, diversa de unâ eâdemquè personâ prædicari, videlicet omnium rerum dominium obtinere, & in summâ egestate versari? verumenimvero Prophetis familiare esse magna & humilia de Maschiach dicere, è Psalm. 2. v. 8. & 72. v. 8. Gen. 49. v. 11. Zach. 9. v. 9. Esa. 53. v. 5. & aliis compluribus locis sole meridiano clarius est. Et Judæi ut obti-

*Objectio Iudaica cum Resp.*

obtineant, quod volunt, quippe se convictos animadvertunt, comminiscuntur duos diversos Messias, unum appellantes *filium Joseph* seu filium Ephraim, alterū *filium Davidis*: & quæcunq; humilia de Messia in Prophetis inveniuntur, attribuunt filio Joseph, quæ verò augusta & sublimia, filio David. Ad obtinendā sententiā inducunt Cant Salom. c. 4. v. 5. c. 7. v. 3. Duo ubera tua similia sunt duobus hinnulis gemellis capreæ pascentibus inter lilia. Equibus Targum gignit gemium Maschiach, Maschiach filium David & Maschiach filium Ephraim. Sed Scriptura Sacra ne apice quidem meminit Maschiach filii Joseph, solum filii Davidis. 2. Sam. 7. v. 12. Ier. 23. v. 6 Ier. 33. v. 15.

*Duo Messiæ de Opinione Iudæorum.*

Nec destruunt sententiam nostram Iudæi opponendo nobis dissonantiam Evangelistarum à Prophetâ Zachariâ. Vocula עָנִי quæ apud Zachariam invenitur & propriè notat afflictum, pauperem, rectè vertitur ab Evangelistâ Matthæo πραὺς hoc est,

est, mansuetus, quia Christus venit pauper, nequenquam pauperū majestate sua terreret, sed mansvetos omnes ad se alliceret, afflictusquè est, ut Deus nobis esset placatus Esa. 53. Præterea per metalepsin scripturæ usitatissimam unam pro alterâ usurpatur: Quando apud Prophetam Zachariam hæc verba exstant רכב על חמור ועל עיר & Matthæum ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον, apud Johannem verò καθήμενος ἐπὶ πῶλον ὄνου, Evangelistæ nec à Prophetâ neq; inter se dissentiunt, Siquidem ibi ו & græcum καὶ non copolativum sed ἐξηγητικὸν esse potest, ut aliàs sæpè in scripturâ, atq; ita verba Prophetæ accipiuntur propriè hoc modo: equitans super asinum h. e. super pullum seu juniorem asinum, & nondum satis domitum, quiq; adhuc matris ab ubere pendet. Discipuli adducebant asinam seu matrem, ut jussi erant Matth. 21. non ut Dominus illi quoq; insideret, sed ut tantò facilius cum matre, quam sequebatur, accederet,

Septuaginta Interpretes hanc prophetiam ita reddidêre : χαῖρε σφόδρα θυγάτερ σιὼν κήρυσσε θυγάτερ Ιερουσαλὴμ, ἰδὲ ὁ βασιλεύς σε ἔρχεταί σοι δίκαιος καὶ σώζων αὐτὸς πραὺς καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὑποζύγιον καὶ πῶλον νέον, id est, gaude vehementer Filia Sion, prædica filia Hierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvans ipsos, mansvetus, & ascendens super subjugalem & pullum novum.

E quibus talis emergit Argumentatio:

Qui de Vaticinio Zach. inequitando Asinæ ingressus est Hierosolymam Rex Iudæorum, is est verus Messias,

Noster Salvator Ch. inequitando Asinæ ingressus est Hierosolymam Rex Iudæorum,

E Noster Salvator Ch. est verus Messias & conseq.

*8. Argumentũ deducitur Es. 35. 4.5.*

Octavum Argumentum subministrat Miraculorum insigniũ à Messia præstandorum asseveratio. Propheta Esaias Messiam miraculis insignem fore pronunciat c. 35. inquiens: *Dicite inconsideratis animo, confirmamini, ne timeatis: Ecce Deus vester ultio advenit, retributio Dei, ipse advenit servaturus vos, Tunc aperiẽt se oculi cœcorũ, & aures surdorum*

*rum patefient: Tunc saliet claudus velut cervus, & cantabit lingua muti.* Hæc miracula & alia complura à Salvatore Messiâ nostro esse edita unanimiter testantur Evangelistæ. Matth 11. v. 5. dicitur & Christus noster aperuisse cæcorum oculos, & visum eis restituisse, patefeciſse aures surdorum, mutorum linguas in eloquium solvisse, pedes claudorum ad rectè gradiendum reformasse, leprosos Mundasse. Joh. 2. v. 11. aquam in vinum convertisse: Panes & pisciculos multiplicasse, jacentia mortuorum corpora erexisse Joh. 11. v. 43. Spiritus verbo ejecisse, & omnes malè habentes curasse Matth. 8, v. 16. & hæc miracula non edita sunt à Christo uno loco, sed pluribus, non in hypogæo, sed in frequenti foro: Unde Petrus Apostolus, eum ambulavisse, ait, beneficiis afficientem, & Sanantem omnes sub Diaboli potestatem redactos Act. 10. v. 38. Nicodemus Judæorum princeps amplissimum dat elogium Salvatori nostro Christo, Nemo, inqui-

ens, potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi is, cum quo Deus est Joh. 3. v. 2.

*Rabbinorum Testimonia.*

Præmissa Esaiæ verba de Messia intelligenda esse, prisci judæorum tradiderunt, qui etiam Pharisæos פרוצים Paretsim, hoc est, sceleστos, seu corruptos moribus vel temerarios vocant, Miraculis Messiæ non credituros fuisse, palam prædixerunt, ut R. Moses Hardarsan in suis commentariis pulchrè testatur super illud ψ. 74. inquiens: *Interrogavit Rabbi Natronai, quid nam illud est, quod scriptum est, signa nostra non vidimus, non est ultra Propheta, neq; nobiscum, qui sciat amplius, vel usq; quo? Respondit ei Rabbi Aba, Hoc dictum est de generatione scelestorum, qui non credent signis, quæ faciet Messias justus noster. Sed dicent de illo, quod operabitur ea arte magica & nominibus immundicia. Et quod signa, quæ ipse dabit, non erant signa illa quæ prophetaverunt Prophetæ de Messia. Et quod si ipsa erant latebant eos, & quod non erat inter eos, Propheta, qui posset illis veritatem manifestare.*

*Galat lib. 8. c. 5.*

*re. Qua propter necesse illi erat probationem verborum suorum afferre, alioquì ipsi interficerent eum. Et ideo exclamat Propheta dicens: Usquè quo Deus improbabit adversarius? blasphemabit inimicus nomen tuum in æternum?* Hoc contigisse Salvatori nostro Luc. II. v. 15. patet, ubi Pharisæi Christum in nomine Beelzebub Dæmonia ejicere clamitant. De miraculis Messiæ ita loquitur Midrasch Coheleth. cap. 1. comment. in Ecclesiastem: *Omnia priora miracula ad Messiæ miracula nihil erunt.* Et Thalmud ipsum, *quæ tum in regnis gentium miracula fient, ad miracula Ægypti, ut Substantia ad accidens sese habebunt.* Josephus Iudæus & gentis Iudaicæ Historicus, miracula JESU miratur, adeo ut Deum ne an hominem dicere debeat, ambigat lib. 18. Antiq. Quamvis miracula Christum fecisse recentiores negare nequeant, quum de ejus miraculis satis superq; constat, conantur tamen ea mendatio atquè blasphemia deturpare; cum videant ejusmodi miracula ab eo es-

*In Thalmud Tract. Beracol. C. Meemathai*

*Iudæorum Cavillationem cum Retorsione*

se edita, quæ omnem facultatem creatam excedant, & paria non admittant, non ea diabolicæ virtuti, ut patres eorum tribuerunt, sed divino numini, quod שם המפורש *Semhamphoras* i.e. nomen expositum nuncupant, tribuunt: asserentes eum nomen illud rectè pronunciando, miracula illa fecisse. Indicaturi autem nominis originem, libellum quendam mendaciis blasphemiisq; plenum non ex Thalmud, sed ex diabolicâ suggestione consutum & consarcinatum nobis ob oculos ponunt. Sed eos prorsus mentiri atq; falsiloquos esse, ex eo videre licet, quod Apostoli cæteriquè ejus discipuli post mortem ipsius non per Semhamphoras, i. e. per nomen Dei expositum, sed in nomine ipsius Jesu Nazareni miracula fecerint teste Thalmud. In Thalmud enim Hierosolymitano in libro qui עבודה זרה Avodazarai.e. cultus alienus dicitur, sic ad verbum legitur: *Dixit Rabbi Johanan, quod filius filii Rabbi Jehosuæ filii Levi quoddam mor-*

*mortiferum deglutiverat. Conjuratum*q3 *illi fuit in nomine Jesu filii* פנתך *Panther & Sanatus est, cum autem evasisset, dixit Pater pueri ei, qui eum sanum fecerat: Quid super eum dixisti? ait illi: Nomen Jesu Nazareni invocavi. Dixit Pater pueri: Remissius fuisset ei, si mortuus fuisset, & non audisset verbum hoc. Et sic statim factum est ei (propter patris scilicet ingratitudinem) Dixit Rabbi Joses quod serpens quidam momordit Eleazar filium Duma; Venit igitur ad eum Jacob* h. e. *Jacobus vir quidam de discipulis Jesu filii Panther, ut curaret eum, & ait ei, dicam tibi ex nomine Jesu Nazareni, & curaberis. Dixit ei Rabbi Semuel, Non licet tibi hoc fili Duma. At ille dixit ei: & ego inducam probationem, quod licitum sit mihi ut curet me. Et non permisit ei inducere probationem, donec mortuus est. Et quam probationem inducere poterat? illud quod scriptum est* Lev. 18. *Quæ (scilicet mandata mea) faciet homo & vivet in eis.* Hæc omnia in eodem libro Talmud Jerosolymitani. Præterea Salvator noster ipse contra Judæos aciter defen-

dens se, ait, non diabolica arte aut per Semhamphoras, sed digito Dei, hoc est, potentiâ divinâ Exod. 8. v. 19. ψ 8. v. 4. Dæmonia ejicere Luc. 11.

e quibus talis procedit Argumentatio:

Qui miracula ab Esaia prædicta edidit, is est verus Messias,

Noster Salvator Christus ejusmodi miracula edidit,

E. Noster Salvator Christus est verus Messias: & consequenter Messias editus est in mundum.

9. Argument a contumeliarum cruciatuum & infinitorum Messiæ perpessione & tolerantia.

Nonum Argumentum quo Messiæ Adventus in carnem stabilitur, desumatur à contumeliis, opprobriis, doloribus, passionibus Messiæ infinitis tolerandis, subeundis, de quibus ex professò agit Propheta Esaias talia proferens cap. 53. *Non forma ei neq; decor, aspeximus eum, & non erat aspectus ut desideremus eum. Despectus fuit & rejectus inter viros, vir dolorum, & expertus infirmitatem, abscondimus faciem ab eo, & nihil reputavimus eum. Sanè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, nos autem reputavimus eum plagis affectum*

*fectum percussum à Deo & humiliatum; ipse autem vulneratus est propter prævaricationes nostras, attritus est propter iniquitates nostras. Castigatio pacis nostræ super eum, & livor ejus sanitas fuit nobis: Omnes nos sicut oves erravimus, unusquisque ad viam suam declinavit, & Jehova conjecit in illum iniquitates omnium nostrûm.* Propheta prædicit Messiam initiò nihil splendoris aut speciei habiturum, rejectum iri ab hominibus non solum à plebe, sed peculiariter à majoribus ac senioribus populi, sapientibus, prudentibus, Scribis & Pharisæis, morbos & dolores hominum non inspecturum tantum more medici, sed in seipsum suscepturum ac portaturum esse, ut nos ab irâ Dei, morteq; æternâ liberatos in vitam æternam assereret. Hæc omnia in Christo Salvatore nostro completa esse, testes sunt Evangelistæ omnes. Matth. 26. v. 55. seqq. Marci 14. v. 53. Luc. 23. v. 55. Joh. 18. v. 12.

Quod autem antiqui hanc Prophetiam de Messiâ exposuerint, clarius *Testimonia Rabbinorum.*

rius est, quam ut ambigi possit. Nam Jonathan B. Uziel Parahrastes Chaldæus horum ferè temporum coætaneus ad Christum nominatim retulit: & ubi dicitur: *Verè languores nostros tulit, & dolores* &c. vertit: *Exaudietur à Deo pro delictis nostris, & propter ipsum peccata condonabuntur nobis.* Et in hæc verba: *Abscondio faciei ab eo* &c. *Quasi*, inquit, *facies Divinitatis ab eo remota fuisset, quod illum talem videremus, nec animadverteremus quis esset.* In libro vocato Zifrat dicit Rabbi Jose Galilæus: *Veni & disce, quanta est merces Regis Messiæ atq; remuneratio justorum credentium in eo. Hæc poteris addiscere ab Adam primo parente, cui non nisi unum solum præceptum præcepit Deus, quod erat, cessare ab opere quodam. Quod quia transgressus est, sibi & omni generi suo ab eodem procedenti usq; ad finem seculi causavit, & certum est quod majoris quantitatis est meritum boni operis, quam punitio mali. Ergò Rex Messias, qui afflictionem, pœnas atq; passiones & mortem pro peccatoribus patitur, sicut largius* cap. 53. *nar-*

53. narrat Isaias, quanta debeat esse remuneratio potest imaginari, & quantum erit bonum quod propter ea nobis debet evenire. In Sanhedrim cap. Col. Israël hæc recitat Rabbi Osua filius Levi: *Reperit Eliam* & R. Simeon, filium Ioaii, stantem ad portas Paradisi, dixitq; ei, ita, si Dominus iste voluerit. Dixit Rabbi Osua, sic duos homines videbam, sed voces trium audiebam. Glossat Rabbi Salomon, & quando veniet Messias? Dicunt ei vade, & quære ab ipso eodem: qui ait ubi reperiam eum? dicunt ei, ad portam Romæ: & ille, quæ sunt ejus signa? *Responderunt, reperies eum inter pauperes & vulneribus passionatum. Sicut Isaias* cap. 53. *ait: Verè languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portavit, & nos reputavimus eum quasi leprosum, percussum à Deo & humiliatum. Ivit ergo ad eum, dixitq; illi, Domine quando venies? qui ait, hodiè. Post aliquot vero dies reversus est R. Osua ad Heliam, dixitq; illi, mentitus est mihi Messias: me enim ab eodem quærente, quando venire deberet, respondet mihi hodiè.*

*die. Cui Helias respondens ait: verum dixit tibi; Nam hodiè si vocem audieritis.*

Huic loco Esaitico adjungo loca Psal. 22. & Zach. 12. quæ itidem de amarulentâ agunt passione Messiæ. *Foderunt* inquit David *manus meas & pedes meos, diviserunt vestimenta sibi ipsis, & super vestem meam projecerunt sortem*, quod Davidi evenisse non legimus, ubinam enim David manibus ac pedibus transfossus est? ubinam expansus, ita ut omnia ossa dinumerare potuerint? ubinam vestimenta ipsius divisa? ubinam sortem jecerunt super ejus tunicam? Cui ergo talia evenerunt? Christo Salvatori nostro, ille cruci fuit affixus (etsi id suplicii non erat in usu apud Iudæos sed apud Romanos) ille ita flagellatus & depexus est, ut nullum ex ossibus ejus fuerit, quod officium suum fecerit, titubabant crura, brachia veluti elixata dependebant & sors jacta super tunicam ejus contestantibus Evangelistis. Zacharias paucis comprehendit passionum Messiæ multitudinem c. 12. *ef-*

*fun-*

*fundam super domum David, & super habitatores Ierusalem Spiritum gratiæ & precum, & adspicient ad me, quem confixerunt, plangentq; juxta planctum, qui fit super unigenitum.* Qui effundit hunc spiritum Deus est, qui perforatur homo, uterq; simul Christus Deus & homo: & hunc locum referunt ad Messiam eo sensu quo Evangelistæ nostri ad Jesum lancea perfossum. Nonnulli Rabbini non erubescunt dicere Christum non secus ac puerperam summos dolores perpessurum, sicuti habetur apud Jer. cap. 30. sed quos libenter toleraturus sit, ut homines à peccato liberet.

*Cabil. lat. recentiùs Iudæorum cum Rejecto.*

Locum Esa. 53. recentiores Judæi non de Messiâ sed de Iudæis ipsis, qui inter gentes hoc modo exagitandi, excruciandi, persequendi sunt intelligi volunt. Unde plenis buccis sibi inquiunt propter Ethnicorum & Christianorum peccata, tot persecutiones, afflictiones subeundas esse. Hanc falsam opinionem imbiberunt à Rabbi Salomone, qui primus hujus explicationis autor exstitit, cum ante ipsum Iu-

dæi hoc caput Esaiæ de Messia filio Joseph intelligerent, verum quod prædicta Esaiæ verba nullatenus populo Iudaico applicari possunt, evincam subsequentibus tribus Elenchis ex ipsis Prophetæ verbis instituendis.

*Elinchus triplex. I.*

1. Ex v. 5. *Ipse vulneratus est propter culpas nostras & contritus propter peccata nostra*, hæc verba de populo Iudaico loqui Ethnicos dicunt, quod falsum est. Licet enim Iudæorum populus in hâc novissimâ captivitate multipliciter affligatur, id tamen ipsi propter iniquitates & scelera gentium non contingit, Deus neminem nisi filium suum propter aliena peccata afflixit, imo tantum abest, ut quempiam ob aliena delicta puniat, ut ne filium iniquitatem Patris sui perferre velit Ezech. 18. v. 20. Iudæi non ob Gentiles, sed Gentiles ob id acerbissimas subierunt pœnas, quod tantoperè Iudæos afflixerunt, quod Iudæi ipsimet prævidêre ex Ioel 3. v. 2. 3. 4. quem locum adducunt adprobandum, fore, ut pœnæ gravissimæ hoc nomine Gentibus infligantur.

Secundus

Secundus Elenchus instituatur ex II.
v. 9. *Is qui non fecit iniquitatem, & in cujus ore non est unquam inventus dolus.* Exprimitur hisce verbis perfecta innocentia Ch. Messiæ, nempè quod nequè verbo nequè facto ullâ in re impegerit, hoc certè de nullo mortalium dici posse omnibus in confessio est, nemo enim est qui non peccet, sequitur ergò in solùm Ch. Messiam competere, non in Iudæos, qui non solùm labe orginali infecti, sed multis iniquitatibus, usuris, dolis, sortilegiis, maleficiis aliis flagitiis sunt immersi.

Tertius Elenchus ex v. ult. *Ipse pro peccatoribus exorabit.* Quod de populo Iudaico in captivitate hâc existente, haud quaquam intelligi potest; ipsi enim non solum non orant pro peccatorum aliarumquè gentium salute, sed potius pro earum destructione & præsertim pro Romani Imperii & Ecclesiæ Christianæ pernicie & perditione, existimantes, post Romani Imperii defectionem atq; Ecclesiæ Christi destructionem se mox ab hâc servitute & captivitate III.

vitate liberandos esse. Ex quo perspicuum est dictum hoc Prophetæ, *Et pro peccatoribus exorabit*, nequaquam de Judæis intelligi posse. Ex his igitur atq; aliis multis in hâc Prophetiâ contentis, quæ minimè in populum Iudaicum in hac captivitate existentem, quadrant, manifestum est, ipsum Dei servum Messiam videlicet, non populum Iudaicum subindicari.

ψ 22. Locum Psalm. 22. de Davide intelligendum esse non de Messiâ demonstratum eunt ex Ebræo textu, quod ibi non extet; foderunt manus meas & pedes meos, sed sicut Leo manus meas & pedes meos. R. Negare nequeo, quin de hoc loco præclarorum virorum varient sententiæ.

Nonnulli loci hujus corruptelam urgent propter testimonium R. Mosis Hardarsam à Galatino adductum lib. 1. de arcan. Cath. verit. cap. 8. p. 35. is enim expressè affirmat, scribas ita correxisse, & mutassie כרו *Caru* fodederunt, in כארי *Caari* sicut Leo.

Quidam dimicant & pro significa-

tione

tione כארי caari sicut Leo & כרו caru foderunt. Etiamsi inquiunt in omnibus editionib? esset כארי caari, tamen inde non sequeretur, textum Ebraicum esse corruptum, sed potius statuenda esset Ellypsis verbi כארו caru, id est, foderunt, sive alterius alicujus, quod sensus præsentis loci requireret: Cujusmodi verborum Ellypses sunt usiatissimæ in scriptura: Exemplum esse potest Psalm. 120. v. 7. *Ego pacem (subintellige diligo,) ut cum loquor, ipsi ad bellum (supple conclamant)* Sensus igitur esset, sicut Leo manus meas & pedes meos videlicet perforarunt: ut ita similitudine istâ queratur Dominus, manus & pedes sibi tanquam leonis dentibus esse perforatos. Nec est ab hoc, aiunt, aliena, hæc comparatio, nam paulo ante v. 14. hostes suos leoni disertè comparavit, inquiens: *dilatant contra me os suum, tanquam Leo rapiens & rugiens.*

Quidam lectionem כארו *Caru* retinent, nitentes testimonia Massoritarum, qui testantur, etsi in multis exem-

plaribus scriptum sit כארו *Caari*, se tamen in bonâ librorum emendatiorum parte reperisse scriptum כארו *Cara* h. e. foderunt.

Quidam tali modo utramque lectionem defendunt, quod dicunt, literas ו & י in fine positas facilè inter se permutari; adducunt Esd. 10. v. ult. נָשָׂאוּ acceperunt pro נָשָׂאוּ. Exempla alia bene multa vide apud Avenarium lib. 3. Grammat. p. 58. Quo facit, quod in codicibus regiis cum Iod punctato scribitur כָּאֲרִי quasi esset Iod Schurech, loco Vau Schurec positum, uti & alibi contingit, vide aliquot Exempla Jer. 50. v. 11.

Hoc sententiarum divortium Judæis non porrigit ansam hoc vaticinium de passione Christi obscurandi, Massoritæ Judæorum doctissimi, qui universalem Biblicorum codicum revisionem restituerunt, varias de hoc loco Christianorum Doctorum sententias conciliant, testando è consensu multorum emendatorum exemplarium כארו id est, foderunt legendum,

& si quæ habeant כארי non in ordinariâ significatione illud accipiendum esse. Et hæc extra dubium causa, cur in multis exemplaribus hodiè legatur כארי quippe olim à Massoritis annotatum fuit, quo sensu hæc lectio sit intelligenda, ut punctis quidem discrepet, sensu tamen cum alterâ convenire debeat, ut propterea â punctis vero ac genuino sensui nihil sit periculi.

Locum Zach. 12. stolidè Iudæi ex Chaldæo hoc intelligunt de Christo quodam filio Joseph, quem in bello occubuisse fabulantur, aut de Juda Maccabæo ab hostibus occiso: verum vox *me* significat hic loqui Deum non purum hominem: Ebr. est דקרו da Karu, id est, transfoderunt, transpunxerunt, scilicet Iudæi infideles & impii, Christi caput spinis, manus & pedes clavis, latus lancea in cruce. De Christo enim cruci affixo hic esse prophetiam & sermonem non solùm Joh. Evang. c. 19. Sed & Hieron. Theodor. Cyrill. omnesq; alij interpretes, Græci & Latini, quin & Hebræi Prisci apud *Zach.* 12.

Galat. lib. 8. c. 17. affirmant. Iudæi aliiq; impii, qui hic nolunt oculos fidei convertere in Christum, inviti eum aspicient, nam cum venit nubibus, videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt Apoc. 1. v. 7.

Ex hisce desumitur talis Argumentatio:

Qui intolerabiles veroq; Messiæ tolerandas subiit passiones, ille est verus Messias.

Salvator noster Christus Jesus Nazarenus intolerabiles veroq; Messiæ tolerandas subiit passiones,

E. Salvator noster C. J. Nazarenus est verus Messias,

Et conseq. Messias editus est in mundum.

10. *Argumentũ ab Idololatriæ Ethnicæ defectu & extirpatone.* Zach. 13. 2. 3.

Decimum Argumentum deducim⁹ ex Idololâtrici cultus ablatione, quod videlicet, Idolatria Ethnica exstirpata oraculisq; gentilium Diabolicis deficientibus Messias venire debuerit. Hanc Idololatriæ ablationem & extirpationem inculcat inter cæteros Prophetа Zacharias cap. 13. sic inquiens: *Erit quoq; in die illâ, dicit Jehovah exercituum, succidam nomina simulacrorum è terra, & non*

*& non memorabuntur ultra, & etiam Prophetas & spiritum immundum auferam è terra, eritq; quum prophetaverit quispiam ultra, dicent ad eum pater ejus & mater ejus, genitor ipsius: Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Jehovæ & configent eum pater ejus & mater ejus, genitores ejus, cum prophetaverit* &c. Hic Propheta de idololatriâ Ethnicâ loquitur, quæ iis temporibus erat ubivis terrarum & gentium frequentissima, item oraculis & Sacerdotibus Idololatricis, quæ omnia temporibus Messiæ sublatum iri prædicit, quod etiam certissimè evenit. Ante adventum Messiæ Salvatoris nostri Christi, quid frequentius miraculis & oraculis dæmonum? in quibus certè toti sunt ferè Varro, Cicero, Livius apud Romanos; Herodotus, Diodorus, Pausanias &c. apud Græcos; ex quo autem Jesus editus est in mundum, & discipuli Christi in universum mundum sunt missi, idolomania ubiq; est explosa, oraculaq; funditus sunt subversa. Sub Augusto cum nasceretur Messias Sal-

vator noster, Appollo consulenti, quis post eum regnaturus sit, respondebat:

Παῖς Ἑβραῖος κέλεταί με θεοῖς μακαρέσσιν ἀνάσσων
Τόν δε δόμον λιπεῖν ἠδ' ἄιδην αὖθις ἰκέσθαι,
Τοιγὰρ ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἠμετερῶν.

Puer Hebræus jubet me Diis beatis imperans
Has ædes relinquere, & statim in orcum abire.
Cæterum abi tacitus ab aris nostris.

Itaquè Augustus aram erexit in Capitolio, cujus inscriptio ARA *primogeniti Dei*, & Cicero suis temporibus, quæ tam accuratè descripserat, oracula ubiq; defeciſſe testatur: & Iuvenalis Satyra 6. canit: Quicquid

Dixerit Astrologus credent à fonte relatum
Hamonis quoniam Delphis oracula cessant.

Strabo quoq; Sacerdotes Delphicos ad mendicitatem ideò redactos scribit, quod oraculum exaruisset, quo fortè pertinet illud ingenere de Diis:

Excesserè omnes adytis sacrisq; relictis
Dii, quibus imperium hoc steterat.

*Plutarchus in Expirat Oracul.*

Plutarchus eo circiter tempore libellum conscripsit de defectu oraculorum,

lorum,& in omnem se partem vertit,ut aliquam rationem inveniat, & modo quod homines oraculis abuterentur, modo quod multi eâ ætate sapientes oraculorũ defectum supplerent,recessisseDeos ab oraculis suspicatur. At tandem eo recidit, Dæmones illos, qui oraculis præsident mortales esse, quibus utiq; morientibus oracula deficiant t cum alioqui constet apud Plutarchum, Dæmones Spiritus esse, omnes porrò spiritus immortales, ac proinde non jam mortuos esse illos, sed conclusos & in carcerem trusos. Adducit igitur eo loco memorabilem illam de Epitherse historiam,qui Echinades Insulas præternavigans, vocem ex quâdam Insulâ profectam intellexit, *Nunciaret magnum Panamortuum esse*,quam gemitus inenârrabiles, & infinita lamenta immensiq; ejulatus illicò consecuta sunt. Quæ quidem cum Tiberio Imperatori narrata fuissent, de iis certior fieri voluit: & Philosophos undiq; accersitos percunctatus est,quis tandem Pan ille esset. Notemus verò sub eodem Tiberio crucifixum Jesum ; Pana

verò

verò ingentilitiis Dæmonibus insignem locum tenuisse, ut ex ipsius oraculo apud Prophyrium liquet:

Χρυσόκερῳ βλυσυρῷῖο Διωνύσε θεράπων
Πὰν
βαίνων ὑλήεντα κατ' ἤρεα χειρὶ κεραπιῇ.

Pan aureis cornibus trucis Dionysii minister Graditur per montes Sylvosos &c.

*Euseb. de præparat. lib. 5.* Itaq; respondet Apollo Diocletiano, iustos illi os obturare, quo minus oracula ederere possit: & Sacerdos justos Christianos interpretatus est, quos idcirco Imperator persequi cæpit. Et Juliano Dæmonem adjurationibus suis experge facere conato, *Erue*, inquit, *hinc ossa Babylæ Martyris*, *quæ mihi obsunt*: ac si illis eatenus tantum os aperire liceret, quo suam ipsi damnationem profiterentur. Itaq; Prophyrius Christianorum inimicus acerrimus, *Non mirum*, inquit, *quod urbes peste vexentur, cum Æsculapius, & Dii ab iis procul absint: nam ex quo Jesus colitur, nihil jam utilitatis à Diis consequimur.* Quamvis autem non simul omnia sacrificia Ethnica cessaverint, tamen progres-

greſſu temporis planè ſunt abolita & extincta, in primis à ſeculo Conſtantini & porrò. Ex hiſce recenſitis & aliis compluribus prophanis Autoribus ſatis ſuperq; conſtat, vaticinium Zachariæ de Idololatriæ extirpatione circa Adventum Meſſiæ completum eſſe.

*Teſtimonia Rabbinorum.*

Manum porrigunt Zachariæ Prophetæ veteres Thalmudiſtæ, qui aptè dicunt Meſſiam in adventu ſuo omnem Idolomaniam & oraculorum deliria abrogaturum & conculcaturum eſſe: cum præſertim in Midras שירהשירים Sirhaſſirim, hoc eſt, in expoſitione Cantici Canticorum ſuper c. 2. v. 8. *Vox Dilecti mei: Eccè iſte venit ſaliens ſuper montes, ſubſiliens ſuper colles*, ubi (allegante Galatino lib. 4. c. ult) R. Nathan nomine R. Elizer filii R. Ioſæ Galilæi. Et R. Hunna nomine R. Eleazar dicunt: *Hic eſt Rex Meſſias, & non eſt mons, ſcilicet hic, aliud quã avodazara, hoc eſt, cultus alienus vel Idololatria. Hoc eſt autem quod dicitur apud Hoſeam c. 4. ſuper capita montiũ decollabũt, id eſt, ſacrificabunt, & ſuper colles fumigabũt*, hoc eſt, *thurificabũt.*

Ezech.

Ezech.36.v.25. Aspergam vos, inquit Iehova, aquis mundis, ut mundemini ab omnibus impuritatibus vestris, & ab omnibus stercoreis Diis vestris mundabo vos. Supra quod habetur in libro de Joma in capite Iam hacqui purim, id est, dies expiationum: Dixit Rabbi Acquiba, beati estis Israël, coram quo estis justificati, vel mundificati: aut quit est ille, qui mundificat vos: quia ipse Pater vester cœlestis est, sicut scriptum est, Effundam super vos aquam mundam &c. Et habetur fons Israëlis Dominus est, quia sicut fons mundat sordes, sic Deus Israëlis peccata vestra &c.

*Hieron. de S. Fide p. 79.*

*Iudaeorum Cavilla tion. cũ Retorsion.*

Opponunt se nobis Iudæi hodierni negando è mundo sublatam esse omnem Idololatriam, falsumq; Deorum cultum, cum minima orbis terrarum pars fidei Messiæ nostri adhærere videatur. Verum non est mens Prophetæ Zachariæ, quod Idolomania & oracula semper cessaverint, sed quodcirca & aliquamdiu post Adventum Messiæ defecerint, de quorum oraculorum de-

defectu etiam Plutrachus Ethnicus peculiarem concinnavit librum, ubi novæ ac inauditæ, adeoq; miraculosæ hujus rei causas inquirit, de quo antea plùribus peractum est.

Objiciunt nobis hæreses varias, Idololatrias Pontificias adhuc in Novo Testamento vigentes: verum illæ non sunt hujus loci, de illis non loquitur Propheta: cum prætextu fiant Evangelii, adeoq; sint nova Evangelii depravatio & Messiæ exhibiti obscuratio; de quâ utpote futura Evangelica scripta æquè prædixere, atq; de veteris abrogatione Zacharias.

Ex hisce talis progerminat Argumentatio:

Quando Idololatria Ethnica fuit extirpata oraculaq; Gentilium defecerunt, Messias venire debuit:

Atqui Idolomania ista, & præsertim oracula jam pridem, nempe ante sesqui mille annos & ultra sunt extirpata, defeceruntq;

E. Jampridem venit Messias & per consequens noster Salvator est verus Messias.

11. *Argument a Vaticiniorum omniũ de Messia loquentiũ plenaria completione.*

Undecimum Argumentum suppeditat nobis vaticiniorum omnium de Messiâ loquentium, complementum. Messias debuit proficisci in Ægyptum & in-

& inde à Deo evocari Oſe. 11. v. 1. ubi verba Jehovæ: *Quia puer Iſraëlis eſt & diligo eum, ideo ex Egypto vocavi filium meum.* Hoc ad literam impletum eſt in populo Iſraël per Moſen educto ex Ægypto; allegoricè verò & typice in Chriſto puero reducto ex Ægypto: licet autem hic ſenſus allegoricus: tamen eſt priore literali dignior, potior & magis intentus à Spiritu Sancto: populus enim Iſraël in hoc reditu ex Egypto geſſit typum Chriſti, præſertim quia Chriſtus illius populi fuit pars & propago, eaquè nobiliſſima. Hâc de causâ ait, *filium meum* non *filios meos*, ut denotet Chriſtum. Hoc vaticinium de Meſſiâ intelligendum eſſe habemus conſentientes Rabbinos, qui locum Pſalm 80. v. 9. *Transferes vitem ex Ægypto*, de Meſſia expoſuerunt: quippe qui vitis ibi appellatur in lib. Berachot cap. Haroæmakom & apud Moſen Hadarſchan ſuper Gen. 40. v. 9. clarius id per Rabbenu Haccados expoſitionem oſtenditur eo in libro, quem Gale Razeia, id eſt, revelatorem arcanorum

rum

rum nuncupavit. In septimâ enim ejusdem libri petitione legitur, quod inter cætera ab eo Antoninus Urbis Romæ Consul quæsisset, quid sibi vellet Psalm. 80. dictum, *Vitem de Ægypto transferes* vel *removebis*; Respondit ei: Hic est Messias; Dixit ei Antoninus: Ergò Rex Messias in Ægypto nasciturus est? Nonnè in Bethlehem? ut dictum est apud Michæam cap. 5. *Et tu Bethlehem terra Ephrata, parvula es in millibus Iuda, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël.* Respondit ei Rabbenu, fateor, Regem Messiam in Bethlehem nasciturum, sed dicit, *vitem de Ægypto transferes.* Cum enim natus erit Messias, Herodes qui in Ierusalem regnabit, quæret eum ad necem. Revelatione autem divinâ in Ægyptum fugere cogetur, ubi aliquandiu morabitur, & postea in Ierusalem jussu Dei revertetur, idcircò textus dicit: *Vitem de Ægypto transferes.* Hæc ille Rabbenu Haccados verè Sanctus. Hæc omnia in Salvatorem nostrum Christum quadrare è cap. 2. Matth. manifestum est.

II. Messias debuit esse Propheta ejusdem autoritatis cum Mose, qui ex ore & nomine Jehovæ divina oracula propositurus esset, Deut. 18. *Prophetam è medio tui, è medio fratrum tuorum, ut ego sum, suscitabit tibi Jehova Deus tuus, illum audietis.* Esa. 42. *Ecce servus meus, quem sustento, electus meus, quem benignè accipit anima mea, indam spiritum meum ipsi, judicium gentibus proferet* & v. 4. *non faciet ut fumiget, neq; quassabit, donec disponat in terrâ judicium; & in doctrina ejus regiones, expectationem habebunt.* Quem locum de Messiâ expresse Targum Chaldaicum exponit, cujus doctrina debuit esse salutifera, afflictisq; cordibus dulcissima, solatii plenissima, ut rursus de ipso vaticinatur Esa. c. 61. *Surge, illuminare, quia venit lumen, & gloria Jehovæ super te orta est, quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Jehova, & gloria ejus super te videbitur, & ambulabunt gentes ad lumen tuum, & Reges ad splendorem ortus tui.* Confer Esa. 50. v. 4. Zach. 4. v. 10. po-

10. pœnitentiam item prædicaturum traditur in Midraschschir Haschirim super Cant. 7. v. 5. his verbis: *Hadrach est Rex Meßias, qui futurus est ad adducendum mundum universum per pœnitentiam ad faciem Dei, sancti Benedicti.* Rada Krad Maschach de Messia exponit. Esa. 61. v. 1, 2. *Spiritus Domini Jehovæ est super me, eo quod unxit Jehova me, ad Evangelizandum mansuetis, misit me ad obligandum fractos animo, ad proclamandam captivis libertatem, & vinctis aperturam ergastuli, ad proclamandum annum acceptum Jehovæ, & ultionis diem Dei nostri, ad consolandum omnes lugentes.* Hæc verò omnia Messiam nostrum præstitisse universa, Novi Testamenti historia locupletissimus est testis; eum prædicasse pœnitentiam & Evangelium, affirmat Matth. c. 4. & Marc. c. 1. 15. sanasse infirmos asseritur Matth. 12. v. 15. Act. 10. v. 38. seipsum vocat Prophetam Marc. 6. v. 4. Luc. 4. v. 24. Joh. 4. v. 44. Turba eum Prophetam vocat Matth. 21. v. 11. Joh. 6. v. 14. Item Petrus Act. 3. v. 22. &c.

III. Messias licet moriturus & Sepeliendus, tamen corruptionem sentire non debuit ad illud Psalm. 16. *Non derelinques animam meam in sepulchro, nec permittas misericordem tuum videre corruptionem*, quod de Davide intelligi nequit, illius enim Corpus in pulverem redactum à corruptione non immune, ergò de Messiâ intelligendum est, attestantibus ipsis Rabbinis: & in primis R. Moses Hardarschan super Psalm. 49. hoc de Messiâ affirmat inquiens: *Hic Jesus dictus est de Rege Messiâ, quia morietur, & rediment patres, & postea vivet in æternum, nec videbit corruptionem*, sicut sapientes Petrus Act. 2. v. 30. & Paulus Act. 13. v. 33. in Salvatoris nostri Christi personâ impletum fuisse hoc vaticinium contendunt.

IV. Messias tertio die à mortuis resurgere debebat, de quo Ose. 6. *vivificabit nos post biduum, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus*, quibus verbis Prophetam propriè & planè respicere ad resurrectionem Messiæ, quæ tertio die à passione ejus fieri

eri debuit, ipse R. Moses Hardarsam super illud Gen. 22. affirmat, teste Galat. lib. 3 c. 12. aiens: *In die tertio levavit Abraham oculos suos; cum sic ait, Hoc est, quod scriptum est Hose. 6. cap. vivificabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit vel eriget nos, & vivemus ante faciem ejus: & sciemus, ut sequamur ad cognoscendum Deum. Postea subdit, vivificabit nos post duos dies & vivemus ante faciem ejus,* quæ est Rex Messias, Liberatio & Redemptio Israëlitarum & Iudæorum æquè ac nostra facta per Messiam Salvatorem nostrum, completa & planè perfecta fuit in ejus resurrectione: hæc enim ejus fuit terminus & coronis, in eâ ergò Christus plenè nos vivificavit, tum quia in ea plenè nos redemit & sanctificavit, tum quia ipsa nostræ resurrectionis est causa, tam exemplaris, quam efficiens: unde in eâ Christus nos secum quasi vivificavit & suscitavit ad vitam beatam & immortalem, unde Arabicus Antioch vertit, *sanabit nos post duos dies, & in tertia surgemus & manebimus in conspectu*

*ejus.* Hoc est quod ait Apostolus Rom. 4. v. 23. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationē nostram.* Hoc vaticiniūclarius de Messiâ exponitur in libro. Mechilta superPs. 30. v. 6. *Hoc dictum est de Messiâ justitia nostra. Quia erunt in momento mors & vita in arbitrio ejus ad dandum aliis & ad suscipiendum in semetipso &c. Cum autem ipse morietur, tristes erunt ob mortem ejus omnes sectatores nominis ejus & cum resurget, gaudebunt, & canent, & huic rei congruit illud Hose. 6. vivificabit nos post duos dies, & tertiâ die resurgere nos faciet.* Et multò expressius in libro, qui Galerazeia, Revelator arcanorum inscribitur, allegante Galat. ibidem: *Post triduum verò anima Messiæ ad corpus suum revertetur, & exibit ex illo lapide, quo erit sepultus, sicut dictum est Exod. 33. Eccè locus est apud me, stabis supra petram, cumquè transierit gloria mea ponam te in foramine petræ.* Hoc vero in Salvatore nostro Jesu Nazareno impletum esse, Evangelistæ testantur, quantumcunquè Iudæi reluctentur, qui etiam à

suo Historico Iosepho lib. 18. c. 4. tali modo redarguuntur: Namq; inquit, erat tempore Tiberii Jesus vir sapiens &c. Vide Mornæum pag. 552. *Ioseph. l. 18. c. 4.*

Messias ascensurus erat in cœlum juxta cap. 2. Michææ: *Ascendet enim pandens iter ante eos, dividentes & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis & Dominus in capite eorum.* Quibus verbis Propheta alludit ad captivitatem & carcerem Babylonicum, vosquè eum sequentes pariter eundem perrumpetis, & ex eo læti exibitis in Sion: multo verius Antitypus Zorobabel, hoc est, Christus e captivitate & carcere Diaboli, infidelitatis & peccati vos liberans vi meritoq; crucis suæ eundem perfringet, eo perfracto transibit in cœlum, vosq; per gratiam ejus corroborati & evocati eumq; perfringetis & gratulabundi eum sequemini. Quem locum similiter exponit R. Mosche Hardarschan in Gen. 40. v. 9. inquiens: *Plantam de supra, Hæc est Messias, de quo dictum est* Mich. 2. v. 13. Et

V.

13. Et super illud Gen. 44. v. 18. inquit: *Et accessit ad eum Iudas, sic ait: Hoc est quod scriptum est* Cantici Cap. 1. *Exultabimus & lætabimur in te. Et quando hoc erit? Cum ascendet captivitas de gehenna, & divinitas erit in caput eorum, sicut dictum est Mich. 2. cap. Et transibit Rex eorum coram eis, & Deus in caput eorum.* De Ascensione Christi in cœlum loquitur Psal. 68. v. 19. *Ascendisti in altum, captivã duxisti captivitatem, accepisti dona in hominibus: & etiã rebelles ut inhabitet Iah Deus.* Quẽ versiculũ Divus Paulus loquens de Exaltatione Christi & donorum spiritus distributione adduxit Eph. 4. v. 8. & ipsi in Abkath Rochel fabell. de Messiâ intelligunt. Rabbenu Haccados in libro quem Galera Zeia, hoc est, Revelatorem arcanorum appellavit, ita de Ascensione Messiæ ait: *Versabitur Messias post resurrectionem suam cum justis, qui audient præcepta ejus 40. diebus in figuram illorum 40. dierum, quibus erit in deserto ad affligendam animam suam, antequam eum occidant.* Et his peractis ascendet in cœlum &c. Hæc autem omnia in Messia

fiaSalvatore nostro esse impleta multa loca N.T. testantur: Marc. ult. v. 19. *Dominus igitur postquam locutus fuisset, sursum assumptus est in cœlum, & sedet à dextera Dei.* Luc. ult. v. 51. Act. 2 v. 9. dicitur: *Et cum hæc dixisset, aspicientibus ipsis, elevatus est, & nubes surripuit eum ab oculis eorum.* Confer. Act. 2. v. 32. etc.

VI. Messias sessurus erat ad dexteram Dei iuxta Psalm. 110. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Davidem non de Abrahamo neq; de Angelo sibi custode deputato, neq; de aliquo alio, ut non nulli Iudæi volunt, sed Messiâ Deo & homine verba hæc dixisse patet per quandam autoritatem in Midrastilim ita continentem: *Dixit Rabbi Iuda in nomine R. Hannæ, futurum est, quod Deus Messiam sedere faciat ad dextram suam, sicut scriptum est, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Et in Chaldaicâ translatione sic habetur: *Dixit Dominus verbo suo, Abraham verè sedebit in sinistris, pallidam faciem habens, & dicit: Et Domine,*

*filius mei filii sedebit à dextris tuis, & ego à sinistris, & Dominus mitigabit eum dicens: Filius filii tui est à dextris meis, & ego à dextris tuis. Et eadem hora contentabitur Abraham, & hoc est quod dixit David in Psalm. 17. Et dextra tua susceptit me.* In Beresith Rabba, de Rabbi Moyse prædicatore, super illud Gen. 18. *Et Abraham adhuc sedebat coram Domino, Quid est quod dicit Psalmista. 17. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ (ipse est Abraham, cui Deus dixerat: Noli timere Abraham, ego protector tuus) & dextera tua susceptit me: iste est Messias, de quo scriptum est, Dixit Dominus Domino meo &c. Dixit Rabbi Simeon, hoc est, quod dicit textus & Abraham adhuc stabat coram Domino.* In Midrasch tehilim, hoc est, expositione Psalmorum inquit Rabbi Ioden nomine R. Chiia; *futurum est ut Deus sanctus & benedictus sedere faciat Regem Messiam ad dexteram suam, sicut, dictum est Psalm. 110. Dixit Deus Domino meo, sede ad dexteram meam.* Hæc autem in Jesu Nazaræno Salvatore nostro impleta esse testatur Evangelica

historia

historia Marc. 16. v. 19. Act. 2. v. 33. 34. ubi allegatum dictum Psalmi expressè de Christo interpretatur Petrus, & notatu dignus locus ad Eph. 1. v. 20. & seqq. ita se habet: Qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem & dominationem &c. Confer Act. 7. v. 55. Coloss. 3. v. 1. Ebr. 1. v. 3. 1. Petr. 3.

VII. Messias Spiritum Sanctum super Apostolos ac alios in se credentes, missurus erat, hoc patet Esa. 44. v. 2. *Noli timere serve meus Jacob, & rectissimè, quem elegi, effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam; effundam Spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Promittit Jehova & promissus Messias, se velle effundere aquas super aridam & sitientem terram, hoc est, Gentilitatem. Gentiles enim ante Christum instar terræ

arida

aridæ erant, squalidi, miseri, infrugiferi & steriles bonorum operum, sed cum Deus per Christum effudit in eos aquas, hoc est, Charismata Spiritus Sancti, fecit eos instaragri succulenti, fertiles virtutum : Et non solum supra aridam terram seu gentilitatem, sed etiam supra semen, hoc est, posteros Israëlis, Apostolos, aliosq; fideles, Spirituales Abrahami & Iacobi filios se effusurum esse ait Spiritum suum vitalem gratiarum, ut fruges virtutum proferant, iisquè semper vireant, vigeant, uti Cyrillus, Gregorius 33. moral. c. 5. & alij complures hoc vaticinium explicant. Hunc locum de Spiritu Sancto à Messiâ mittendo loqui, affirmat Targum Chaldaicum Ioël. 2. v. 28. 29. item R. D. Rimchi Zach. 12. Et quod Spiritum Sanctum Messias ipse super discipulos suos missurus esset, Rabbenu Haccados, qui longè ante Christum natum fuit, in libro, *qui vocatur* Galerazeia, hoc est, revelator arcanorum inscribitur, apertè prædixit, dum ad sextam

Anto-

Antonini Urbis Romæ Consulis petiti onē hæc inter cætera respondit: *Post dies vero decem, à suâ scilicet ascensione, ad perfectionem 50. dierum mittet Spiritum S. de cœlis super justos, ut in fide ejus confirmentur. Moxque illis præcipiet, ut eant doceantq; omnes homines legem ejus, quemadmodum dictum est* Ezech. 36. *Et Spiritum meum dabo in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & faciatis ea. Horum autem 50. dierum figura fuerunt 50. dies, quibus Israël agnum paschalem occidit, & exiit de terrâ Ægypti, in quibus Deus Sanctus & benedictus misit Spiritum S. super eos, deditq; eis legem Sanctam, ut essent firmi in fide ejus, sicut scriptum est* Exod. 19. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te & credat tibi in perpetuum.* Hæc ad verbum ille quem adversarii ipsi Rabbenu Haccados, hoc est, Magistrum Sanctum vocitant.

Hoc verò quin præstitum sit largissimè in die Pentecostali post Ascensionem Jesu Nazaræni in cœlum, & sub-

subsequentibus temporibus, liber Actorum Apostolicorum dubitare non sinit cap. 1. v. 5. 8. C. 2. v. 2. & nequè Paulus seqq. c. 4. v. 31. c. 8. v. 15. 17. 18. C. 10. v. 44. C. 11. v. 15. C. 15. v. 8. Rom. 5 v. 5. 1. Cor. 2. v. 12. 2. Cor. 4. v. 13. Gal. 4. v. 6. 1. Thess. 4. v. 8. &c.

VIII. Messias erat instituturus Baptismum in remissionem peccatorum secundum Ezech. 36. v. 25. *Et effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Nonnulli Iudæi per aquam intelligunt temporalium bonorum abundantiam, & nominatim pluviam, quæ segetes riget & fœcundet. Sed hæc non emundat peccata, ut sequitur, imò sæpè auget. Aqua ergo hæc est gratia, & bonorum spiritualium abundantia, quæ à Christo per sacramenta dimanat: & propriissimè est aqua Baptismi peccata omnia emundans: de quâ ait Apostolus ad Tit. 3. *Mundans eam* (Ecclesiam) *lavacro aquæ in verbo vitæ.* Hunc locum de Messiâ evidenter exponit Bereschit Retanna super Gen. 49. v. 11, his

v.11. His verbis: *Et quomodo ipse ſe Meſſias aget? nempe ſicut dictum* Ezeh.36. *Spargam ſuper vos aquas mundas.* Item & Chald. & R. David, licet Baptiſmum non agnoſcant, tamen cenſent hic agi de remiſſione peccatorum. Ipſi Iudæi Meſſiæ baptizandum eſſe fatentur, quærendo è Johanne, cur baptizet, ſi non ſit Chriſtus Ioh. 1. v. 25. Salvatorem noſtrum Baptiſmum inſtituiſſe perſpicuum eſt è Matth. 28. v. vlt. Marc. 16. v. 15. 1. Cor. 1. v. 17.

Meſſias erat collecturus omnes gentes, easq; beneficiorum ſuorum per miniſtros participes redditurus, quod paſſim in ſcripturis prædictum legitur, ut Zach. 2. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illâ & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui.* Gen. 17. *Itaq; non vocabitur amplius nomen tuum Abram, ſed erit nomen tuum Abraham, quia patrem multitudinis gentium conſtitui te.* Quæ duo loca cum aliis pluribus videlicet. Jer. 31. v. 27. Ezech. 34. v. 31. Zach. 8. v. 10. Zach. 9. v. 10. Prov. 14. v. 34. expreſsè de IX.

genti-

gentilibus ad Messiam convertendis exponit Thalmud tract. Bicurim. Esa. 45. v. 22. & 49. v. 6. Psal. 67. v. 3. Soph. 3. v. 9. Jer. 23. v. 6. Quæ loca omnia similiter conjunctim de conversione gentium ad Messiam pulcherrimè & prolixè exponuntur in Bereschit Rabba super Gen. 41. v. 44. Esa. 2. v. 2. & 11. v. 10. Psal. 117. v. 1. Hos. 2. v. ult. Allegat Dn. Helvicus in Elench Iudæorum Midarsch Tillim super 100. v. 1. Item super Psal. 67. v. 3. ubi docet pluribus, Jehovam non esse acceptorem personarum, sed confitentium ipsum, licet sit è gentibus. Et nihil est quod Juniores Judæi objiciant, vaticinium Zach. 2. v. 11. indicare gentes in diebus Messiæ Deo addendas esse, non ut salventur, sed ut populo Judaico serviant. Rabbi enim Jonathas Chaldæus interpres exponit hoc ita : *Et addent se populi multi ad populum Dei in tempore illo, & erunt coram me in populum.* Huic paraphrasi Chaldaicæ, à qua plurimum pendent Iudæi manifestè hæc impia explicatio repugnat. Consulatur

sulatur Galatinus de Arcan. Cath. verit. lib. 9. c. 12. quiad oculum demonstrat, Gentiles non addendos fuisse Messiæ ut Iudæis serviant, sed ut populus Dei fiant & salventur.

Hisce Vaticiniis de vocatione gentium fidem facit vocatio Magorum, de quibus extat narratio Matth. 2. *Nam cum natus esset Jesus in eâ Bethlehem, quæ est in Iudæa, temporibus Herodis Regis, ecce Magi advenerant ab Oriente Hierosolymam.* Fidem facit illud mandatum Christi. Marc. 16. quo discipuli jubentur universum terrarum orbem peragrantes Euangelium prædicare omni creaturæ; fidem fecit tot gentium accessio ad religionem Christianam, de quâ liber Actorum Apostolicorum & ipsa veritas testatur.

Hæc sunt potissima vaticinia, de Messiâ ab ipsis Rabbinis, & priscis Hebræis agnita & confirmata.

Ex quibus sese offert talis Argumentatio:

In quo omnia vaticinia de Messia exactè, perfectè & unicè sunt impleta, is est verus & unicus promissus Messias;

In nostro Salvatore Jesu Christo omnia vaticinia de Messiâ exactè, perfectè & unicè sunt impleta,

Ergò noster Salvator Jesus Christus est unicus ille & verus promissus Messias.

Qui plura de hisce avet scire & legere, ille consulat D. Lutherum Tom. Jenens. secundo in Tractatù, qui inscribitur, **Das JEsus Christus ein geborner Jude sey.** & Tom. 8. Jen. fol. 70.71.&c. ubi insulsis Judæorum rationibus scripturæ Sacræ autoritate, & Ebrææ linguæ idiotismo obtusis, nostrum Salvatorem Christum veram Messiam esse asserit.

## Suspirium ad Messiam Incarnatum ex Cant. 2. cap. Salom.

Pectoris è thalamo rogote placidissime Jesu,
Sis, maneasq; Meus, sim, maneamq; Tuus,
Nec sine Me, sine Te, recto de tramite flecti,
Me duce victus ero, Te duce Victor ovo.

KRINO-

# KRINOMINA.

AGgrediemur Considerandas quæstiones Theologico-Politicas, quas voco KRINOMINA, propterea, quod de illis in Christianorum Rebus publicis hactenus disceptatum, & adhuc sub judice lis est, ita, ut utra sententia approbanda, utra rejicienda sit, à nonnullis dubitetur.

## QUÆSTIO PRIMA.

AN *totalis quædam Conversio Iudæorum ante finem mundi exspectanda sit?* R. Pro Affirmativâ 1. ex Veteribus multi pugnant, Hilarius lib. 11. de Trinitat. & in Psal. 58. Origenes in Comm. Rom. 11. Hieronymus, Ambrosius, Chrysostomus, Haymo, Lyranus in ca. 11. Rom. &c. 2. Multi ex nostris D. Hunnius, D. Winkelman in comment. Rom. 11. Hafenreff. in templo Ezech. p. 314. D. Mentzer, in analysi istus capitis, D. Meisnerus lib. 4. de legibus sect. 1. q. 18. 3. Pontificii ferè omnes. Joh. Ferus in Cap. 21. Gen. p. 395. Seraphinus Firmi-

anus in enerrat. cap. 14. Apocal. 4. Ex Calvinianis, Brocardus de Christi Adventu, Bezâ, Paræus, Piscator & alii in comment. Rom. 11. Quidam Ungarus, qui se vocat Stephanum Pannonium Belogradensē anno 608. scriptum edidit sub titulo *de circulo operum & Iudiciorum Dei*, in quo inter cætera sic scribit: *Initium hujus circuli operum & judiciorum Dei Iudæis inceptum, in iisdem finiendum: Iudæos qui in ἀπειθία hoc est contumacia nunc versantur, ubi plenitudo gentium introjerit, convertendos ad fidem Christianam, id quod fiet ante ultimam mundi ἀπιστίαν, hoc est incredulitatem, quæ demum sub finem mundi post conversionem Iudæorum sequetur.* Pro Negativâ dimicant D. Luther. Tom. 8. Ien. Germ. f. 109. D. Cramerus de Regno Christi part. 2. c. 4. q. 6. D. Hoë comment. in Appocal. tom. 2. p. 605. & complures alii. Galat. de Arcan. Cathol. veritat. lib. 9. c. 2. De pariculari Iudæorū conversione sic loquitur: quod pauci ex Iudæis salvandi sunt ex cap. 10. Esa. apparet, ubi Iehova per Prophetam talia

pro-

promittit: *Si enim fuerit populus tuus Israël sicut arena maris, residuum convertetur ex eo.* Quod R. Jonathas ita Chaldaicè vertit: ישראל סני יחלא דימאשאר רלא חטו ודתכו מחשאה אסארי יהי עמך hoc est, si enim fuerit populus tu⁹ multus, sicut arena maris, residuũ quod non peccaverit, vel quod peccati pœnituerit convertetur. Glosa autem R. Salomonis super præmissa Isaiæ verba sic ait. Etiamsi fuerit Israêl sicut arena maris præ multitudine, ego conflabo eos ut argentum, & redigetur in modicum, residuum illius modici convertetur ad bonum, tantum ille.

Propugnatores Sententiæ affirmativæ nituntur vaticinio Oseæ c. 3. *Diebus multis desidebunt Israëlitæ, nullo Rege, nullo⁹ principe, & nullo sacrificio, ac nulla statua, nullo deniq⁹ amiculo, aut imaginibus, postea reversi Israëlitæ quærent Iehovam Deum suum, & Davidem Regem suum, & pavidi accedent ad Iehovam & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.* Deinde loco, Luc. 21. Oseæ. 3. 5. ult. Luc. 21. 24.

Rom. 11. v. 25. 26. *Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium.* Maximè autem dicto Apostolico Rom. 11. *Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, ut non sitis inter vos ipsos sapientes, quia cæcitas ex parte contigit Israëli, donec plenitudo gentium intraret & sic omnis Israël salvus fieret, sicut scriptum est, veniet ex Sion, qui eripiat ac avertat impietatem Jacob.* Addunt, si dictum Apostolicum non de vniversali Iudæorum conversione intelligendum, non esset mysterium: item Paulum velle Iudæos consolari argumento sumpto ab illorum totali conversione, ideo apertè dicit, ut totus Israël salvus fieret.

Hisce ad stipulari videtur D. Erasmus Roter. in Paraph. super Epist. Paul. ad Rom. c. 11. aiens: *Aperiam vobis, fratres, arcanum quiddam, quod fortasse silentio tegendum erat, nisi vestra referret me loqui, videlicet ne vobis arroganter placeatis, quod Iudæis prælati videamini. Incidit hæc cæcitas in gentem Iudaicam, sed nec in vniversam, nec*

*nec in perpetuum. Complures & hinc agnoſcunt Chriſtum, & cæteri tanti ſper in ſuâ cæcitate perſiſtent, donec gentium numerus fuerit expletus, quibus nunc Iudæorum lapſus aditum aperuit. Verum vbi viderint vniverſum orbem florere poſſeſſione fidei Chriſtianæ, ſuum illum Meſſiam fruſtra expectari, vrbem, templum, ſacra, gentem diſſipatam ac ſparſam, incipient receptis oculis tandem errorem ſuum agnoſcere, & intelligent Chriſtum verum eſſe Meſſiam, atq; ita totus Iſraëliticus populus ad ſalutem reſtituetur, quamvis nunc ex parte degenerarit.* Item M. Matthias Flacius Illyricus Albonenſis in Gloſſa Compendiaria N.T. quando in explanatione c. 11. Epiſt. Romanor. ait: *Si nunc ingens commodum Gentilibus attulit caſus ac ruina Iudæorum, multo certè majus afferet eorum plena converſio, quandocunq; demum illa accidet. Plenitudo Hebraiſmus ſignificat plenam converſionem.*

1. Reſpondetur à non nullis Doctis: quod hæc Apoſtoli Pauli adſertio poſt Chriſtum natum adimpleta

sit, & etiamnum impleatur, intelligi potest, si attendatur, quod observavit Galatinus lib. 1. cap. 4. post resurrectionem Domini triplex fuisse Iudæorum genus. 1. Eorum est, qui Prophetarum vaticiniis de Messiæ eventu comprobatis fide & opere adhæserunt, quod multi non tantum plebei, sed & nobiles Iudæorum fecerunt, quos inter celebratissimus est in Actis Apostolicis Gamaliel Senator Hierosolymitanus Act. 5. v. 34. & in Evangelicâ historiâ Nicodemus & Iosephus Arimathæensis Joh. 7. v. 10. c. 19. v. 39. 2. Eorum qui fide adhærebant, sed non opere, hoc est, credebant Jesum Nazarænum esse prædictum à Prophetis Messiam, attamen Mosaicas observationes deserere nolebant, de quibus dicitur Act. 21. v. 20. quod aliquot millia sint in Iudæis, qui credant, & tamen omnes æmulatores sint legis. 3. Eorum qui nec fide nec opere Christo adhærent, sed in perfidia pertinaciter sibi permanendum tanquam cæci elegerunt.

Priora

Priora duo Iudæorum genera ad fidem Christi accessisse, non est dubium: ex postremo igitur genere Deus quoq; pro immēsâ suâ bonitate subinde aliquos adducit, qui partim diuturno suo exilio edocti, partim vana Messiæ sui expectatione fatigati agnoscunt, promissiones de Messiâ in Jesu Nazaræno adimpletas esse; atque hac ratione, Deo largiente virtutem verbo suo, ad fidem Christi convertuntur. Et hæc sunt illa centum quadraginta quatuor millia Iudæorum, quos signatos vidit D. Joannes in Apoc. 14. v. 1.

2. Respondetur: Omnis Israël non vniversalitatem sed maximam partem denotat; Siquidem vocula omnis simpliciter pro multis aut majore parte accipitur, ut & Regula Iuris innuit, omnes videntur facere quod facit maior pars ff. ad munic. Sic Pharisæi dicunt: Totus mundus sequitur eum Joh. 12. & Matth. 3. Tunc exiit ad eum Hierosolyma, tota Iudæa, totaque regio circumia-

cens Iordanem; pro plurimi ex illis locis. Luc. 2. Venit edictum ab Augusto Cæsare, ut describeretur tota terra habitabilis, id est, tota Iudæa. Coloss. 1. Evangelium est prædicatum omni creaturæ sub cœlo pro pleriſq; hominibus passim, quam latissimè. Et quod omnes Iudæi non sint convertendi, (1.) probari posse aiunt Dan. 12. v. 2. in tempore Salvabitur populus tuus inscriptus libro vitæ. Quem locum Theodoretus de Salvatione Iudæorum intelligit. (2.) ex Apoc. 7. v. 4. Ubi centum quadraginta quatuor millia Signati dicuntur ex omni tribu Israël, ex singulis tribubus duodecim millia, Ergò non singuli & universi.

Propugnatores sententiæ negativæ nituntur (1.) triplici maledictione, cui Iudæi sunt subjecti, primùm generali Deut. 28. v. 15. secundo propria attracta verbis illis: *Sit Sanguis ejus super nos & filios nostros* Matth. 27. Tertio ipsius Christi *per os Davidis* prolata Psal. 69. v. 24, Psal. 109. v. 17.

2. Per-

2. Pertinaci mediorum conversionis ac salutis rejectione. Christum enim Iudæi in suis Synagogis blasphæmant, vocantes eum Thalui, & facta ejus mentione subiiciunt, *deleatur ejus nomen*, & in terram ter exspuunt, liberos suos iam inde à primâ pueritiâ assuefaciunt ad maledicendum Christo, ac Virgini Deiparæ, si quis verbo Deiipsorum errores refellit, aures obturant &c.

3. Duratione vocationis gentium, quæ Luc. 21. usq; ad mundi finem videtur extendi. Euthymius in Comment. per tempora gentium intelligit ea, quæ durabunt usquè ad consummationem gentium totiusq; mundi. ut significetur Ierusalem nunquam recuperandam esse à Iudæis, sed eam possidendam à gentibus, quamdiu erunt gentes super terram, hoc est, usq; ad finem mundi.

Quoniam autem Quæstio hæc in Ecclesiæ gremio disceptabilis nobis non condit Articulum Fidei, relinquimus cuilibet id quod suum est, nec ulli,

ulli, vel affirmativæ vel negativæ sententiæ ut accedat, autores sum⁹, propterea, quod innumeri Iudæi in cæcitate mortui sint ante mundi interitum, & quod Dei Optimi Maximi tanta est potentia, ut abundantissimè & multò plura facere queat, quam nos vel petere audemus vel intellectu nostro comprehendere valemus. Eph. 3.

## QUÆSTIO SECUNDA.

AN Iudæi & Gentiles legitimè Connubia jungere possint? R. per negationem; quia seductio metuenda est. Deut. 7. prohibet Deus Israëlitis sociare conjugia cum Gentibus, sic ajens: *Cum verò te introduxerit Dominus Deus tuus in terram Chanaan, quam possessurus ingrederis, tibiq; vires subministravit, ut ejicias populum Hethæum & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum, & Hevæum & Jebusæum, septem scilicet has gentes & multitudine & corporum robore te superiores, eas q; in potestatem tuam dederit, percutias eas usq; ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec*

*nec misereberis earum, nec sociabis cum eis conjugia. Filiam enim tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seduceet filium tuum, ne sequatur me, & ut potius serviat Diis alienis.* Sicut Israëlitis cum alterius religionis hominibus Idololatris matrimonia iungere ob metum seductionis haud licebat; Similiter nequaquam Christianorum liberis matrimonium concedendum est cum Iudæis, Idolomaniæ deditis, quia Christo Salvatore nostro rejecto, alium Salvatorem & Messiam expectant. Periculum enim erit, ne illi per connubia Iudæorum, à verâ religione abducti, de Messiâ Incarnato in dubium veniant. Ideo etiam in Iure Civili l. ne quis 6. c. *de Iudæis* matrimonium inter Iudæos & Christiaons sub poenâ capitali interdicitur. Lib. 1. Cod. Tit. 9. *Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Iudæus accipiat, neque Iudæa Christianus conjugium sortiatur, nam si quis aliquid hujusmodi admiserit, adulterii vicem commissi hujusmodi crimen*

*obtinebit*

*obtinebit* &c. Quod intelligendum est de matrimonio contrahendo, non contracto. De contracto Paulus 1. Cor. 7. sic ait: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc assentitur, ut habitet cum illo, ne dimittat eam. Et mulier quæ habet maritum infidelem, & is assentitur, ut habitet cum eâ, ne dimittat illum, sanctificatus est enim maritus incredulus per uxorem, & sanctificata est uxor incredula per maritum; Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si incredulus discedit, discedat. Non est servituti subiectus frater aut soror in hujusmodi rebus, sed ad pacem nos vocavit Deus: Ecquid namq; scis mulier an maritum sis servatura? aut qui scis vir, an uxorem sis servaturus?* ubi Paulus Doctor gentium conjugii vinculum in se ac suâ Naturâ adeo esse indissolubile asserit, ut nec ob diversam religionem semel initum matrimonium dirimi possit. Asserti triplicem assignat rationem. Primò *ab infidelis Sanctificatione*, quia maritus, quamvis religione prophanus per

nus per Christianæ consortium, quod ad coniugii negotium attinet, sanctus redditur, & vxor nondum initiata Christo congressu mariti Christiani quodammodo sancta puraq; redditur ob legitimum vsum matrimonii. Secundò *à divinâ ad pacem vocatione*, quia Deus nos non ideò ad Evangelium vocavit, ut in iurgiis sed pacificè & concorditer invicem vivamus, ac proinde fidelis coniux non debet occasionem dèsertionis præbere, nec principium separationis facere, nec infidelem seu à Christi mysteriis alienam à se per violentiam expellere, sed quantum salvâ religione & fide potest fieri, pacem & concordiam coniugalem cum eâ colere. Tertiò *à Speranda infidelis conversione*, quia fieri potest, ut pacificâ & concordi coniugis cum infideli cohabitatione infidelis Christo lucrifiat, & ad ejus fidem conuertatur. Hanc rationem vide plenius 1. Pet. 3. v. 1. vbi dicit infideles viros, fidem Christi non amplexos, posse per bonam conversationem uxorum, hoc est, illarum

larum integritate, pietate, modestia, temperantia, castitate, tolerantia converti, sine publicæ prædicationis auditione. Quare pessimè agit Papa, qui Iudæum nisi Christianæ religioni nomen dederit, separandum esse judicat ab vxore fideli; de quo videantur D. Bald Casus. fol. 194.

*Antithesis*

Olim Iudæi refractarii & pervicaces illegitima sua matrimonia cum gentilibus defendebant, ut legitur Malach 2. v. 10. Dicebant enim: Nonnè pater vnus omnibus nobis est? Nonnè Deus fortis vnicus creavit nos? Quare perfide sumus alter inalterum, profanando fœdus majorum nostrorum? Quasi dicerent:

Quicunque Deum Creatorem habent communem, & Adamum communem patrem, illi inter se legitimè connubia jungere possunt;

Atqui Judæi & Gentiles Deum Creatorem habent communem & Adamum communem patrem.

E. Judæi & Gentiles inter se legitimè connubia iungere possunt.

Respond.

Respond. Defensionis istius propositio major simpliciter intellecta negatur, vera autem ut sit, limitanda est hoc modo: Quicunq; Deum creatorem habent communem, & Adamum communem patrem, illi inter se legitimè connubia iungere possunt; scilicet nisi Deus prohibuerit fœdere suo sancto, quod cum certo aliquo populo iniit, quem ab aliis populis sanctitate & verâ religione discretum esse voluit.

Iam quod ad Assumptionem attinet, habebant quidem Iudæi & Gentiles Deum communem creatorem, & Adamum communem patrem, sed Deus cum Iudæis fœdus sanctum iniuerat, & ab aliis populis omnibus distinctum esse volebat religione, sanctitate, vitæ institutis, politiâ.

Judæi igitur cum Gentilibus matrimonia contrahere non debebant: qui autem contrahebant, perfidè in Deum agebant, & sanctitatem Iehovæ profanabant, in Ecclesiam Dei, in gentem suam injurii erant, quasi in illa vxores sibi aptas non reperirent, aut

è quâ vxores ductas cum insigni injuriâ repudiabant, ut gentiles ducere possent.

## TERTIA QVÆSTIO.

AN Princeps vel Magistratus possit aut debeat Iudæos tolerare in civitate vel provinciâ?

Resp. De hâc est divortium sententiarum, nonnulli aiunt, nonnulli negant, qui negant, urgent.

1. *Blasphemias & convitia, quibus tum in precibus ordinariis tum in sermone quotidiano Christum Jesum, Mariam ipsius Matrem, fidem Christianam ejusq; confessores & Magistratum Christianum impetunt.* Christum appellant Mamser, id est, spurium; appellant ipsum Talui & Tolaho, id est, einen erhengten Dieb am Galgen. Hoc testatur Lutherus de duobus Iudæis qui sub specie docilitatis ejus opera impetraverant literas assecurationis, postea gratitudinis ergò hoc epitheto Christum honorarunt: Christum aiunt quotannis in eâ nocte, quâ Christiani celebrant Festum

Festum Natalitiorum, cogi perreptare omnes מושבות id est cloacas (Deus te increpet Satan) & terrorem incutiunt omnibus domesticis, ut eâdem nocte non audeant è cubiculo prodire: Mariam Matrem Christi appellant Hariam הריס id est sterquilinium - Munst. ex blasphemo libro Nizachon cujus exemplar habetur, ut puto, Basileæ: quotidiè & manè & vesperi recitant orationem, cujus initium עלינו in quo pronunciant hæc verba; *Schehem Corim, umista chavim, unmodim, lebebel, Varick, umeispal, lelim, leello loschia*, id est, cum illi adorent, & invocent & celebrent vanitatem, & stultitiam, & orent ad Deum, qui non potest salvare. His verbis intelligunt Christianos & Christum quem illi invocent. Quando Christiani cujus piam mentionem faciunt, hisce nominibus uti solent: iste נִבְלָתָא id est cadaver, Germ. der Schelm, iste רוּצַח id est latro adduntq; יִמַּח שְׁמוֹ pereat nomen ejus, quod perinde valet apud ipsos, ac diabolus abripiet eum: Christianum Magistra-

tum in genere appellant, *Malchuth Edom, Malchuth Zadon, Malchuth Miſchaath, Malchuth Eſau, Malchuth Hareſchaah*, hoc eſt, Regnum Edomiticum, Regnum ſuperbum & Tyrannicum, Regnum impium, Regnum Eſau &c. per has appellationes Magiſtratus Chriſtianos intelligi teſtantur Iudæi converſi unanimiter tum publicis ſcriptis, tum privatis teſtimoniis, vide Erneſt. Ferd. part. 2. c. 9. part. 7. c. 1. Chriſtianum Gerſon part. 1. c. 17. Antonius Margarit. lib. de fide Iud. Has blaſphemias & convitia Iudæorum recenſet prolixius Luth. I. de Iudæis tom. 8. Jen. Germ. D. Helvicus tom. 4. Diſputat. Gieſsen. Erneſtus Ferdinandus converſus Iudæus in Flagell. Iudæor, Antonius Margarita converſus Iudæus, & Profeſſor quondam Ebrææ Linguæ in Academ Lipſienſi in libro de Fide Iudæorum & alii.

2. *Uſuras, quibus expilare & exhaurire ſolent Chriſtianos, inter quos vivunt*, dum quod pro nullo peccato habent, propterea, quod erga alie nigenas, inter quos Chriſtianos cenſent,

sent, fœnerari sibi concessum putant lege divinâ Deut. 23. v. 20.

3. *Immane odium, quo contra Christianos flagrant*; docent enim non esse peccatum, si Iudæus Christanum interficiat, quia Christiani propriè non sint homines. Christian. Gerson part. 1. c. 24. ex Ralbag fol. 77. & Thalmud. Beba Mezia F. 114. & Bacchai f. 181. Item si quis Iudæus occidere velit Gentilem, qui non sit de religione Iudaicâ, & per imprudentiam occidat Israêlitam, illum docent non esse reum mortis. Thal. lib. Sanhed. c. 11. f. 78. Petrus Gregorius in Syntag Iuris lib. 33. c. 4. Num. 6. exemplis demonstrat, quod quamcunque occasionem nacti conjuratos Christiani nominis hostes sese declararint, & multa millia Christianorum occiderint.

4. *Damnum, quod ex imperitiâ Medicæ artis, quam nunquam dedicerunt, ægrotis inferre solent.* Lang. lib. 1. Epist Medic. Epist. 71. *ut marsupium fœnore, ita facultates corporis vitales medicamentis exhau-*

*Lauriunt, experimentum per mortes agunt.*

Hisce & aliis fundamentis permotæ multæ Respub. è civitatibus ipsos ejecerunt: Norlingæ, Augustæ Vindelicorum, Pragæ, Ratisbonæ, Magdeburgi &c. ejecit eos Sisebertus Gothorum Rex ex Hispaniâ anno Christi 632. Ex Galliis Dogebertus circa annum Christi 639. teste Funcio, Ludovicus missо è Palæstinâ edicto, Iudæos exegit Francia haud temerè motus falso Saracenorum cavillo, exprobrantium, Regi minus charum esse Jesum Christum, qui infensissimos ejus hostes visceribus regni foveret. Herm Sched. Chron. p. 834. Felix Respub. in quâ non est Abraham (Iudæus) Nimrod (Tyrannus) & Naaman (leprosus) veteres dixerunt.

Qui affirmant, obtendunt 1. *Spem conversionis in Codice Biblico fundata* & præsertim Ose. 3. v. 4. Rom. 11. v. 25. Luc. 21. v. 24. & alibi. 2. *Reverentiam sanguinis Christi*, quia Christus ex patrum illorum prosapiâ descendit, factus

ctus ex semine David secundum carnem Rom. 1. v. 3. B. Lutherus in Epist. ad Jeselium Iudæum Rosheimensem tom. 6. Ien. Germ. fol. 509. dicit: *Se propter unum Iudæum Crucifixum omnibus favere Iudæis.*

3. Commoda, quæ ex illorū tolerantiâ resultant, quæ sunt inter cætera, quod testimonio suo scripturæ Ebrææ V. T. autoritatem contra paganos asserūt quo sensu & respectu Christianorū thesaurarii à Patribus dicuntur. August. l. 12. contra Faustum Manichæum c. 23. circa finem: *Quid est gens Iudæa, nisi quædam scrinaria Christianorum bajulans legem, & Prophetas ad testimonium assertionis Ecclesiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod annunciat illa per literam.* Et Iustinus Martyr longè ante in cohortatione ad Græcos: *Nam quod etiamnum apud Iudæos pietatis nostræ libri asservantur, divinæ id de nobis est opus providentiæ. Ne enim ex Ecclesia eos proferentes, occasionem quasi suppositi à nobis aut corrupti sint, maledictis nos incessere volentibus præbeamus, ex illorum*

*lorum synagoga producimus, ut ex ipsis hucusque apud eos conservatis libris ad nos nostramq; doctrinam à Sanctis viris edicta jura liquidò & manifestò pertinere appareat.* 4 *Incommoda*, Totalis enim exterminatio saluti & conversioni Judæorum obesse videtur, ita ut ea non ad conversionem sed potius ad pervicaciam multasq; diras in Christianos ad evomendas instigentur. 5. *Exemplum primitivæ Ecclesiæ, quæ Judæos toleravit.* Imperator Valentin ait: *In synagogam Judaicæ legis veluti hospitii meritò irruentes milites jubeas emigrare: quos privatorum domus, non religiosarum loca habitationum meritò convenit attingere* lib. 1. cod. tit. 9. Augustus apud Philonem dicit, se ideo collegia & coitiones Judæorum permittere, *quod non sint crapulæ primùm & vinolentiæ, Deinde, quod non sint seditionum nutriculæ, sed scholæ temperantiæ & justitiæ.* Tempore Julii Cæsaris collegia Judæorum permissa fuisse affirmat Josephus lib. 14.

Hisce in Judæorum tolerantiam

in

in Repub. consentientibus adstipulantur D. Lucas Osiander super 11. cap. Rom. ex mente Apostoli scribens: *Non æquum ut propter quosdam Judæos incredulos fastuosè in totum populum Judaicum debacheris.* Et rursus: *Nos Judæos ea de causa non exterminemus è mundo, quia adhuc in eo populo sunt quidam electi, ad fidem Christianam ante obitum suum sunt reducendi.* Similiter D. Gesnerus super Psal. 59. D. Georgius Mylius super 11. cap. Epist. ad Rom. *Nostram adversus Judæos inhumanitatem & crudelitatem multorum salutem impedire scribit.* D. Daniel Arcularius Tom. 1. Disputat. Marpurg. Disputat. 51. Thes. 34. *quod à nonnullis disputatur, anne inter Christianos Judæi tolerandi sint, nos cum Augustino certis de causis certis & conditionibus tolerari posse censemus.* Cum hoc consentit D. Fridericus Balduinus in examine Apologetici Caspar Schoppi c. 7. scribens: *Interest nostrates neutiquam omni modo & conditione Judæos urbibus & Rebuspub. suis arcere.* Idem volunt omnes illi Theologi,

logi, qui docent, semper aliquos fore à Iudæis ad finem usq; mundi, qui Evangelium amplectuntur.

Etsi quidem Iudæi non sunt è medio tollendi, nec simpliciter ex omni societate Christianorum exterminandi (promisit enim Deus Zach. 2. v. 12. se etiam in Ecclesia Novi Testamenti electurum Ierusalem & possessurum Iudam partem suam) & cautione opus est, ne vel nimiâ licentiâ Iudæos deteriores reddamus, neque nimiâ morositate & inhumanitate conversionem eorum impediamus, dicimus, Iudæos haud facile nisi urgentibus prægnantibus causis in Rempub. Christianam seu provinciam esse recipiendos, olim autem in eam receptos tolerandos esse iis conditionibus, quas D. Lutherus consignavit Tom. 5. Jen. fol. 93. seqq.

1. Ne Synagogæ ipsis permittantur, sed eæ quas iam habent, comburantur, ne cogamur vel inviti audire blasphemias, quas in Christum Dei Filium, &

bea-

beatam ejus Matrem, imò in ipsum Mosen evomere solent. Ejus enim lege non contenti alia sibi fingunt statuta, de quibus Buxdorffius ex ipsis Rabbinorum libris testatur c. 1. *Synagogæ suæ*, contra expressam legem Mosis, nihil addas, neque minuas Deut. 4. & 12.

2. Publicæ domus ipsis non concedantur, nec habeant ansam privatim blasphemias suas effundendi, ideo in stabulo nostrarum ædium habitent, ut sciant, se non esse Dominos, sed mancipia Christianorum.

3. Spolientur libris Talmudicis: quia pleni sunt abominationum & blasphemiarum.

4. Rabbinis ipsorum neq; publicè neq; privatim profiteri permittitatur: si qui de mabore ipsorum pendere coguntur, ita ut credant, si dicatur, sinistrum esse dextrum & dextrum esse sinistrum.

5. Interdicantur ipsis publica mercemonia, seu omnes contractus: nam contractus non nisi usurarios habent.

6. Usu-

6. Usuræ prohibeantur, & severissimè puniantur: iis enim Christianos hirudinum instar exugunt contra omne jus & fas & otio plus lucrantur de Christianorum bonis, quam alii honestè.

7. Ad labores graviores adigantur, ut ita meminerint laborando, se libertatem suam prodegisse, ad sacra etiam adigantur ut conciones audiant, compellantur, qua forte fiat, ut Deo largiente virtutem illuminari, & ad gremium Ecclesiæ converti possint, siquidem de eis scriptum est. quod ipsorum cæcitas ex parte facta sit Rom. cap. 9.

Vide etiam de hoc Augustinum lib. 4. & 18. de Civit. Dei c. 46. & super Psal. 59. v. 12. ne occides eos, ne obliviscatur legis &c. Quod si his & aliis à Jureconsultis præscriptis conditionibus vivere recusent Judæi, Christianus Imperator jus habet in illos animadvertendi, & ad obsequelam cogendi. Non quidem cogi possunt, ut in Christū credant, cogi tamē possunt ut vivant honestis & justis legibus ac

con-

conditionibus sibi ex jure Domini legitimè præscriptis.

## QUÆSTIO QUARTA.

AN *Judæi vi ad Baptismi susceptionem compellendi sint*? Resp. Negativè. Requirit Deus populum voluntarium, & cultum spontaneum Psal. 110. v. 3. nec placent ipsi coacta servitia Levit. 19. v. 5. Christus iussit Apostolos docere ac baptizare, non mandavit, ut eos, qui audire nollent ad credendum civilis potestatis autoritate compellerent, unde Paulus inquit 2. Cor. 1. *Non dominamur fidei vestræ*, nimirum quia tale dominium in conscientias ad solum Deum pertinet. Stephanus Batoreus Poloniæ Rex dicere consvevit. *Deum tria sibi reservasse, ex nihilo aliquid facere, futura scire, & dominari conscientiis.* in Epist. de sedit. Belgic. Henricus Tertius Galliæ Rex, qui per totam vitam religionem Evangelicam armis oppugnaverat in extremo mortis articulo confiteri coactus est, *Conscientiæ dominium non*

*ad*

*ad Reges ullosve pertinere Magistratus.* Senec. lib. 3. de benefic. cap. 20. *Corpora obnoxia sunt & asscripta Dominis, mens verò sui Iuris, quæ adeo libera & vaga, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo vtatur & in infinitum comes coelestibus exeat.* Hæc omnia satis superqvè probant, neminem ad religionem amplectendam vi trahi cogique posse, quod etiam de Baptismo Judæis invitis conferendo verè dicitur. Stultum igitur fuit inceptum Leonis Constantinopolitani Imperatoris, qui Judæos & Montanos vi coëgit, ut Baptismum susciperent; Judæi enim Baptismate tincti aquam abluebant, & Montani domos religioni suæ destinatas (synagogas suas) ingressi semetipsos combusserunt, teste Funcio Chronol. fol. 127. Item Paulo Diacon. lib. 21. Rerum Romanarum. Tantum abest ut Judæi pervicaces Baptismum agnoscant lavacrum aquæ in verbo Eph. 5. v. 26. lavacrum παλιγγενεσίας Tit. 3 v. 5. & περιτομὴν ἀχειροποίητον Coll. 2. v. 11. ut Baptizati ex avaritiâ Baptismum iterare

rare seu repetere non dubitant. Quod confirmat Socrates lib. 7. Histor. Eccles. c. 17. *Judæus*, inquiens, *quidam veterator fidem simulans, sæpius baptizatus fuit, per quam fallaciam multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex variis sectis homines (Arianorum enim & Macedoniorum Baptismum receperat) dolo ludificans, non habebat amplius, quibus imponeret, tandem ad Paulum Novatianorum Episcopum venit, ait, se magnâ cupiditate Baptismum recipiendi flagrare, per ejus manum ut illud assequatur orat. Paulus probat ejus institutum, verum se non prius Baptismum illi daturum ait, quam sit fidei Articulis institutus, diesq; complures vacaverit. Judæus contra voluntatem Jejunare coactus acriter instare, ut Baptismo donaretur. Paulus quoniam illum tam obnixè Baptismum petentem morari nolebat offendere, parat res ad Baptismum necessarias. Cumq; vestem splendidam pro illo emisset, & alveum Baptisterii aqua impleri jussisset, Judæum eò deduxit, ut illi Baptismum impertiret: verùm aqua universa divinâ quadâm virtute, quæ oculis*

lis cerni perspicuè non poterat, subito exhausta est. Ac cum neque Episcopi, neque alii qui aderant, accuratè considerarent, quâ ratione id accidisset, sed aquam per foramen, quod in imo alveo fuit, per quod etiam alias aquam solebant educere, effluxisse affirmarent, alveum Baptisterii de integro foraminibus undiq; in eo firmè obturatis diligenter implent. At cum Iudæus esset secundo ad alveum Baptisterii deductus, aqua rursus penitus evanuit. Itaq; tum Paulus, ô homo, inquit, aut veterator is partes agis, aut Baptismum ignorans recepisti. Quarè ubi ob miraculum à multis eò concursum erat, fortè quidam Iudæum de facie novit, qui Paulo Episcopo, Iudæum illum jam dudum ab Episcopo Attico in eâ ipsâ Urbe baptizatum fuisse, indicat. Sic dolus ex miraculo patefactus, & perfidus Iudæus confusus est. Videatur etiam Magd. Centur. 5. c. 6. p. 661.

Nonnulli admittunt indirectam compulsionem hoc sensu, quod videlicet Judæi oneribus civilibus cogendi, & in servitutem redigendi sint, ut in eis oriatur voluntas se convertendi, &

Bapti-

Baptismum suscipiendi. Verum enimvero Judæi ad verbi auditum non autem ad Baptismi susceptionem cogendi sunt; Nam excommunicatis & illis, qui sunt extra Ecclesiam, patet aditus ad verbi auditum, nequaquam verò ad Sacramentorum usum, antequam hi nomen suum dent Christo & Ecclesiæ fidem amplectantur, illi verò Deo & Ecclesiæ reconcilientur.

Nonnulli urgent parabolam Luc. 14. ubi servus iubetur compellere hospites ad cœnam cœlestis Patrisfamilias invitatos. Sed ille ἀναγκασμὸν pro ratione subjectæ materiæ intelligendus quod ministri Ecclesiæ, qui per servos hoc loco intelliguntur prædicatione legis & comminatione pœnarum ad pœnitentiam homines excitare debeant, & quod Magistratus ad verbum audiendum & externa conversionis media subditos debeat cogere, non autem immediatè aliquem ad religionem vel Baptismum suscipiendum.

# ERRONEA JUDÆORUM QUÆSTIO.

*An Christus plus quàm centum annis ante templi Hierosolymitani ruinam vixerit?* A nobis negatur. Matth. 24. Discipulis admirantibus ædificationem templi, cujusmodi è lapidibus constructum erat, dicit Servator noster, ætatem illam non præterituram, quoad illud templum everteretur, & non relinqueretur lapis super lapidem qui non dissolveretur. Et id evenit intra annos 40. sub Vespasiano. Verum Iudæi in sterquilinio suo Thalmudico aiunt Jesum Nazarænum nostrum (nostrum Christum non suum verum Messiam venisse credunt) vixisse tempore Alexandri Jannei, non autem Pontii Pilati Præsidis, plus quam centum annis ante excisum templum, atq; adeò crucifixum esse tempore Aristobuli. Petrus Galatinus de Arcan. veritat. Cath. lib. 7. c. 7. ait, ista non dici de Jesu Servatore, sed de Jesu Nazaræno alio: Malè

ab

ab eo factum, tum nimium conatur defendere deliramenta illa Thalmudica, quæ possent quidem suum habere usum, sed ita tamen, ut errores agnoscamus, quod stabilire enitatur somnia illa insulsissima, in quib⁹ hoc meritò recensendum, ut cœtera omnia, quæ de Jesu Nazaræno impiè Iudæi ibi eructant. Verum Galatinum in eo errasse, quod putarit, illa de Jesu Nazaræno non affirmari â Iudæis, sed de alio quodam, docet Abraham Levita in sua Cabala Historiæ, qui reprehendit historicos exteros, quod dicunt Christum crucifixum esse tempore Herodis, atq; hoc faciunt, inquit, ut videatur Christus non diu vixisse antequam Jerosolymæ exscinderentur. Ita suo judicio se produnt hoc ab illis dici, né verum videretur esse illud Christi Matth. 24. non præteribit ætas hæc, quoad hæc omnia fiant. Hoc inquit, videntur illi, confingere, ut dicant templum nostrum citò esse eversum post Jesum crucifixum, verum veriſſima nostra tradi-

tio ex Thalmiud & Misna habet eum vixisse tempore Alexandri,& crucifixum tempore Aristobuli. Quæ verba adeò sunt expressa, ut Genebrardus agnoscat Iudæos loqui de Christo,non de quoquam alio,errorem enim eorum esse, quod ita doceant in suo Thalmud.

Error autem hic Iudæorum ex Olympiadibus clarissimè refellitur, uti apparet ex Cornelio Tacito Annalium lib. 15. Ubi Christus Servator noster dicitur crucifixus sub Pontio Pilato Procuratore Iudææ, & Ierosolymæ eversæ sub Tito & Vespasiano, quæ & similiter ab aliis traduntur scriptoribus,ne frustra iis enumerandis insistam. Et ut ad rem accedamus, Alexander Janneus regnavit Olymp. 177. Pontius Pilatus Iudææ Procurator fuit Olymp. 202,Olymp. 212. eversum est templum, ita à tempore Alexandri ad ruinam templi intercesserunt triginta Olympiades hoc est, anni 120. ut Christus non potuerit esse

esse natus tempore Alexandri Jannæi: præterea 202. ad 212. interceserunt Olympiades decem, id est, anni quadraginta, ut non potuerint tantum temporibus intervallum intercedere, quantum Iudæi ponunt à morte Iesu Christi sub Aristobulo ad tempus excisi templi sub Vespasiano.

Ad stabilimentum Sententiæ nostræ negativæ & majorem veritatis lucem appono Chronologiam in Evangelicam Historiam & Acta Apostolorum: monumentis Historicorum fundatam, è qua perspicuum evadit, quo tempore Christus sit natus, quo tempore passus, & morte revixerit, quid post ejus Nativitatem, inquè cælum ascensionem brevi & longo post contigerit.

# CHRONOLOGIA IN EVANGELICAM HISTORIAM.

| ANNI Mundi | ANNI Imperat. Rom. | ANNI à nato Christo | |
|---|---|---|---|
| | | | AUGUSTI. |
| 3962. | 42. | 1. | Jesus Christus Redemptor noster natus in Bethlehem ex Maria Virgine, Anno Regni Herodis 33. Anno Urbis Romæ 751. vide c. 2. Luc. |
| 3963. | 43. | 2. | Fuga Christi in Ægyptum Matth. 2. |
| 3964. | 44. | 3. | Inchoato principatu Archelai in Judæam reductus est Matth. 2. |
| 3973. | 52. | 12. | Christus manet in templo & disputat cum Doctoribus de Regno Messiæ Luc. 2. |
| 3991. | 15. | 30. | Baptismus Christi Luc. 3. Matth. 3. |
| 3994. | 18. | 34. | Passio & Resurrectio Christi. |
| | | | Jesus Christus Salvator noster crucis supplicio affectus tertio die ex mortuis revivixit & quadragesimo die post resurrectionem in cœlum ascendit, ac Paulo post die Pentecostes Spiritum Sanctum in Apostolos & cœtum eis conjunctum effudit Act. 2. |

| ANNI â Christo nato. | ANNI Imper Rom. | ANNI post convers. Pauli. | |
|---|---|---|---|
| 34. | 18. | | Tiberii. |
| 35. | 19. | 1. | Stephanus Diaconus Ecclesiæ Christi lapidibus obruitur Act. 7. Eodem |

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0196
DFG

dem anno Paulus converſus ex acerrimo hoſte,& perſecutore fit Apoſtolus & amicus Deo & Eccleſiæ cariſſimus Act. 9.

36. 20. 2. Sparſum ex Judæa in vicinas gentes Evangelium per Apoſtolos. Act. 8.

39. 23. 5. Ivit Paulus in Arabiam Gal. 1.

CALIGULÆ. Ivit in Tharſum. Act. 9.

41. 3. 7. Statuæ Caligulæ in templo Jeroſolymitano collocatæ.

42. 4. 8. Herodes Antipas interfector Baptiſtæ & ſubſannator Chriſti juſſu Caligulæ ad exilium perpetuum deportatur Lugdunum in Galliam.

CLAUDII.

43. 1. 9. Barnabas ex Tharſo duxit Paulum Anthiochiam Act. 13.

45. 3. 11. Herodes Agrippa prior phthiriaſi mortuus eſt Act. 12.

47. 5. 13. Mortua Virgo Maria Mater Domini Niceph. 2. c. 21.

50 8. 16. Synodus Apoſtolica coacta Hieroſolymis, cui Paulus interfuit Act. 5.

55. 13. 21. Paulus Apoſtolus Hieroſolymis captus, & Cæſaream abductus, cauſam coram Fælice & Druſilla dixit. Act. 24.

NERONIS.

63. 7. 29. Jacobus Iuſtus Iuſſu Ananiæ Sacerdotis præcipitatus de templi muro lapidibus obrutus eſt.

70. 14. 36. Paulus à Nerone interfectus cum docuiſſet annos 36.

71. OTTON. GALVITELL. Coloſſæ & Laodicæa, altero anno poſt mortem Pauli, utſcribit Eutropius, hiatu terræ ab ſorptæ ſunt

73. 2. Excidium Hieroſolymitanum poſtremum & Templi ruina totalis.

# DISSERTATIO LUTHERANO-CATHOLICA

## De nomine Catholico

Lutheranis attribuendo, Pontificiis auferendo,

*instituta*

A

M. Henr. Lemmich.
Lubecensi.

Quam

QUam jactabundi, & intumidi NOMINE CATHOLICO Pontificii, incedant, sibiq; illud vendicare velint, tum experientia tum scripta eorum satis superq; testantur. Sed quid nomen sine actu atq; officio? Nihil sanè est. Nomina sine rebus nil aliud, nisi sonora mendacia sunt. Simon Magus vocabatur μεγάλη ἡ θεῦ δύναμις Act. 8. 10. non tamen erat Diana Ephasinorum porclamabatur magnum numen Act. 19, 27. & tamen nil erat, nisi superstitiosum Idolum. Ita licet Pontificii dicant, plenis buccis declamitent, se esse Catholicos, hinc tamen non infallibiliter sequitur illos esse. Verum Lutherani eò laborant ut magis sint, quàm ut dicantur, & locum invenit apud illos illud Ignatii: ἐ τὸ καλεῖθαι ἀλλὰ τὸ εἶναι χρισιανὸς μακάριον πέφ. Quod autem Lutherani revera sint, meritoq; vocari possint Catholici, Definitione fidei Catholicæ quæ Pontificiis non competit, argumen-

mentis inde profluentibus conabor demonstrare. Sed ut est in illo πολυθρυλλήτῳ, qui nucleum vult degustare nucem frangat necesse est: Sic dum essentiam rei contemplari gaudemus, quid videlicet sit fidei Catholicæ definitio vera, nomen prius, rei involucrum enucleare nostrum erit. Quod per ἐτυμολογίας καὶ ὁμωνυμίας declarationem præstitu facile erit.

ἔτυμολογία fidei. Ετυμολογία, fidei quod attinet, videtur illorum Etymologia magis approbabilis qui fidem à fidendo derivant. Licet Cic. 1. Officior. diversum statuat, deducens à fio, quod id fit, quod ab aliquo dictum promissumve est, quasi duo isthæc vocabula fiat, dictum inter se commixta; Fides, inquit, est dictorũ, conventorumq; constantia & veritas, sic dicta quod fiat.

derivatio πίστις. Græcis dicitur πίστις ἀπὸ πείθω notante Flacio par. 1. Calv. p. 308. Verbũ πείθω per se significat, tum suadeo, tum doceo quo sensu accipitur Actor. 19, 8. & cap. 28, 23. & 2. Cor. 5, 11. Ad hujus Etymologiæ expositionem valdè appositè convenit illud, quod Simplicius dicit

dicit super lib. 3. de Anima. Τέλος μὲν πίστις, ὁδὸς δὲ ἐπὶ ταύτην τὸ πείθεσθαι. Finis quidem aut scopus est fides, via unde eò tendens est suaderi aut doceri.

Hebræi fidem alias Communiter appellant אֱמוּנָה à rad. אָמַן nutrivit. In Hiphal הֶאֱמִין certò confisus est, significat enim אֱמוּנָה constantem, firmamq; animi per Spiritum Sanctum de Dei bonitate atquè promissis persvasionem. Hoc confirmat particula AMEN. Deut. 27, 15. quasi dicas firmum, ratum esto, verè fiat. *Hebræa אמונה*

Vocabulum fidei est πλύσημον varias sustinet significationes, tum in profanis tum sacris Autoribus, quibus significationibus in specie enarrandis super sedebo, eas autem hisce subsequentibus significationibus, omnes ferè inclusas esse curabo. *ὁμωνυμία fidei. Principales fidei acceptiones.*

1. Denotat fides dictorum Conventorumq; constantiam & veritatem, & tunc nominari potest fides, activa. Hoc sensu Deo tribuitur fides, sive fidelitas Ps. 33. 4. *1. Denotat fidelitatem in promissis præstandis.*

Omnia opera ejus in fide, Rom. 3.

3. Incredulitas hominum fidem non evacu-

evacuat, hoc est, Deus manet fidelis & verax in promissionibus si vel maximè homines non adhibeant illi fidem.

2. Assensum. 2. Secundò significat opinionem conceptam ex relatione aliqua & credulitate, quâ expositæ rei damus fidem, nihil interim expectantes commodi, aut utilitatis ex re quam credimus. Et hæc fides vocari potest passiva, quia relationem habet ad dicentis fidem activam seu veritatem. Hâc significatione ait S. Jacob. 2. 19. Credis Deum unum esse rectè facis, etiam Dæmones credunt & contremiscunt. Huc respexit Philosophus l. 4. Top. c. 3. fidem ita definiens: ἡ πίστις ἐστὶν ὑπόληψις σφοδρὰ. Fides est vehemens opinio.

3. Fiduciam. 3. Notat certam & indubitatam rerum æternarum fiduciam in Deum & ejus verbum. De hac fide loquitur Paulus Rom. 3, 26. Deus justificat eum, qui est ex fide Jesu Christi Gal. 2. 16. Quoniam, inquit, scimus non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, & nos in Jesum

ſum Chriſtum credimus, ut Iuſtificaremur ex fide Jeſu Chriſti. Æſchines contra Cteſiphon: ἐγὼ δὲ πεπιςευκὼς ἦκω πρώτην μὲν τῆς θεοῦς, δεύτερον δὲ τῆς νόμοις.

4. Doctrinam cæleſtẽ.

4. Significat objectum, principium fidei, videlicet Doctrinam cæleſtem divinitus revelatam, ut Gal. 1. 23.. Qui perſequebatur nos, nunc evangelizat fidem quam olim vaſtabat. Gal. 6, 10. operemur bonum ad omnes, maximè ad domeſticos fidei, h.e. Qui eandẽ nobiscum doctrinam, & religionem profitentur. Quo ſenſu dicimus, fides Chriſtiana, fides Apoſtolica & Catholica. Huc ſpectat illud Lombard. l. 3. ſent. diſtinct. 23. lit C. aliud ſunt ea quæ creduntur, aliud fides, quâ creditur, & tamen nomine fidei cenſetur utrumq; & illud ſcilicet quod creditur, & id quò creditur.

Accedamus jam ad explicationem vocabuli Catholici Nomen habet ἀπὸ τ καθόλε ab univerſo, vel univerſali. Variè accipitur apud Philoſophos. In terminis ſimplicibus dicitur Ens univerſale, quod aptum eſt, eſſe in pluribus

ut

ut Arist. ait lib. 7. Mataph. c. 13. Propositionem illam καθόλου nominant, in qua prædicatum convenit subjecto omni per se, & quatenus ipsum. Et plures alias obtinet significationes. Quæ cum nihil ad rhombum, & planè à nostro scopo, ad quem collimamus, alienæ, eas missas faciam, & quem sensum in codice Biblico obtineat videbo.

*Vocabulum Catholicũ est ἄγραφον.*

Vocabulum Catholici, non est ἔγγραφον vel in scriptura propositum, sed ἄγραφον & à Doctoribus Ecclesiæ post Apostolorum tempora usurpari cæptum. Nam tempore Christi, antequam Evang. ad omnes gentes perveniret, erat fidei apud fideles universalitas, nemo tamen dicebatur Catholicus, hoc confirmant alto silentio omnes Evangelistæ & Apostoli. Hinc Pacianus Epist. 1. ad Sempronianum scribit, sub Apostolis neminem vocatum fuisse Catholicum.

*Externa universalitas.*

Cum autem καθολικὸν denotet universale, hinc etiam fidès Catholica nihil notat aliud quam fidem universam vel universalem. Est autem duplex fidei

fidei veræ universalitas altera externa, altera interna nominari potest. Externa ex circumstantiis externis, loci, temporis, status, conditionis, ætatis, sexus æstimanda est.

Καθολικισμὸς τοπικὸς. Non enim Christi religio loco particulari h. e. Palestinæ, aut genti uni h. e. Judæis ad scripta, sicut in V. T. sed ab Apostolis in universum mundum disseminata ut Psal. 19. 5. Sonus eorum in omnem terram exivit, & in extrema orbis verba eorum. Sic Matth. 23. 19. Marc. 16, 15. Luc. 14. 47. Act. 1, 8. Col. 1, 5. Καθολικισμ. τοπικ.

Καθολικισμὸς χρόνικὸς: Vera fides, quæ à Christi & Apostolorum tempore in Ecclesia fuit, permanebit ad consummationem seculi. Non enim ulla hæresis, vel persecutiones illam delere valebunt. Fideles enim mortem Domini annunciabunt, donec veniat. 1. Cor. 11. 26. Καθολικισμ. χρόνικ.

Καθολικισμὸς ætatis, sexus, Conditionis. Nullus enim homo excluditur, sed omnibus recipienda proponitur Christi religio. Non enim est Iudæus neq; Καθολικισμ. ætatis, sexus, conditionis.

neque Græcus, non est servus neque liber, masculus neque fœmina, Gal. 3. 28. Huc pertinent multæ Ecclesiæ particulares in orbe terrarum collectæ. Act. 11. 22. Pervenit sermo ad aures Ecclesiæ, quæ illic erat. Colos. 4, 15. Salutate Nympham & Ecclesiam quæ in domo ejus est.

*Interna universalitas.*

Interna verò universalitas respicit scripta Prophetica & Apostolica. Vera enim fides omnia comprehendit omniaque credit, quæ docuerunt Prophetæ & Apostoli, neque quicquam asserit quod verbo Dei sit contrarium. Et hoc sensu Catholicum idem est, quod orthodoxium. Hinc Cyrillus cap. 13. Catech. ait. Ecclesiam vocari καθολικὴν, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα ἐφ' ὃσ γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα. h. e. Quia docet Catholicè & perfectè omnia dogmata, quæcunque homines tenentur cognoscere.

Hæc interna universalitas, principalis & Catholici significatio, diligenter attendenda est, si fidem nostram sive religio-

ligionem, cui nos dediti sumus, non tantum dici, sed & revera esse & demonstrare & defendere velimus. Definitione ὁνομαστῶδες exstructâ, ipsam nunc definitioem subjungere collibet. Definitur vel describitur hoc modo.

Fides Catholica est Doctrina, quam Prophetæ & Apostoli tradidêre, & in scriptis Ecclesiæ reliquêre; ut esset utilis ad docendum, ad arguendũ, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut Paulus testatur. 2. Tim. 3. 17. *Definitio.*

Subjectum Definitionis est fides Catholica, quotupliciter sumatur in notatione dictum est. Prædicatum est doctrina divinitus Prophetis & Apostolis revelata. Nam 2. Pet. 1. 12. dicitur, quod non voluntate humanâ allata sit aliquando Prophetia, Sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Dei homines Sancti 2. Tim. 3. v, ult. Omnis scriptura divinitus inspirata. *Subjectum. Prædicatum.*

Causa finalis, est utilitas in nos redundans: Est utilis ad docendum &c. Chrysost. super 2. Tim. 3. 17. in homil. 9. Ad docendum, inquit, si quid *Finis.*

discere opus sit, illic addiscemus: Si argui falsitatem, inde hauriemus. Si corrigi, si castigari, ad exhortationem, ad solatium, si quid desit & oporteat adipisci, ex ea nihilominus discimus. Et postea: Per, inquit sub persona Pauli ad Tim. scripturas habes, si quid addiscere cupis hinc poteris.

Ex hac definitione tale connecto & produco argumentum:

Quicunque amplectitur Doctrinam Prophetarum & Apostolorum, in Scriptis ipsorum comprehensam, Ille est Catholicus.

Lutherani amplectuntur Doctrinam Prophetarum & Apostolorum. Ergò.

Minoris probatio resultabit ex τῆς ἐξηγήσεως Doctrinæ in majori: Quodnam Doctrinæ genus Prophetæ & Apostoli disseminarint, literarumque sacrarum monumentis consignatum reliquerint. Doctrina illorum hæc fuit.

*Praxis Lutheranorum.*

Docendo remiserunt homines ad legem,

ad legem & testimonium Esa. 8. 20. Non ad considerationem successoris, antiquitatis, aliorumq; similium signorum. Requirite diligenter in libro Domini, & legite, clamat idem Propheta cap. 34, 16. In eo tanquam vitæ norma & regula permanere Timotheum suũ jubet Gentium Doctor, 2. Epist Tim. 3. 14, Huic soli nos attendere suadet Petrus 2. Epist. 1. 19. Hoc faciunt Lutherani, Sed quid Pontificii Catholici nuperrimè enati?

praxis Pontificiorum

Illi lege & testimonio non contenti, traditiones visitandas dicunt, quibus defectus Codicis Biblici Sacri tur. Sic sanè censuerunt Jesuitæ Colonienses, in maleferiata illa censura sua, pag. 220. Sic censuerunt Collocutores Bavarici in colloquio nupero Ratisbonensi, hanc in sententiam descendentes. Est quidem scriptura norma infallibilis, verum nec sola nec unica, sed præter hanc necessariò admitti debent Traditiones, Ecclesiæ definitiones, Doctorum orthoxorum Consensus. Jesuita Bellarminus suam;

suorumq; complicum thesin sic informat: Nos asserimus, non contineri expressè in scripturis totam doctrinã sive de fide, sive de morib⁹ necessariã, ac proinde præter Dei verbum scriptum, requiri etiã verbũ Dei non scriptum h. e. traditiones, lib. 8. De verbo Dei non scripto cap. 3. Quare cum Pontificii à fide Catholica deficiunt, traditionibus suis adhærentes, Catholico nomine coronari non merentur.

*Scriptura legenda est Laicis.*

Prophetæ & Apostoli docuerunt, Laicis scripturam Sacram legendam esse non prohibendam. Huc pertinent exempla promiscuorum hominum in Ecclesiis, quibus Apostoli Epistolas ac scripta sua dedicarunt, & inscripserunt. Paulus scribit ad Rom. 1, 7. ad omnes, qui sunt Romæ dilecti Dei, vocati, Sancti, ergo omnes istos vult Apostolus legere hæc scripta sua. 1. Cor. 1. 2. scribit ad eos qui sunt Corinthi, & omnes qui invocant nomen Domini in omni loco. Ergo ab omnibus & in omni loco eam vult legi. 2. Cor.

Cor. 2. 1. scribit ad Ecclesiam Corinthi, & omnes sanctos, qui sunt in universa Achaja. Lucas ad omnem Theophilum scribit, ut exinde cognoscat veritatem Luc. 1. 3. & sic in cæteris. Ita nullum Christianum cujus cunquè ordinis sit Apostoli prohibuerunt âlectione sacrarum literarum, sed omnibus eas legendas destinarunt.

Hoc eo fine factum est, ut notitiam Dei exinde exhaurirent, ne ignorantia scripturæ â Pseudoprophetis seducerentur. Nam ignorantia est fons omnis erorris, superstitionum & aliorum damnorum, sicut Christus inquit Matth. 22. 29. Erratis nescientes scripturas. Præterea ut scripta conducerent Laicis ad probandos Spiritus. 1. Thess. 5., 20. & 1. Joh. 4. 1. Quod fit diligenti meditatione & scrutinio, ad exemplum Berrhöënsium, qui in perscrutanda scriptura diligenter versabantur, ad explorandum, num ita omnia se haberent, ut dicebantur, Act. 17. 11. In hoc Apostolos imitantur Lutherani, quia neminem â lectione Biblicâ prohibent. *Praxis Luth.*

Pa-

Consensio Patrum. Patres nobiſcum conſentiunt. Chryſoſt. hom. 9. ad Coloſs. tractans illa verba Coloſs. 3. 16. verbum Chriſti habitet in vobis abundanter: ſubdit hæc verba: Audite quotquot adeſtis mundani, & uxoribus præeſtis, ac liberis, quod & vobis præcipiat ſcriptura. Et poſtea. Audite obſecro ſeculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ Pharmaca, ſi nihil aliud vultis, ſaltem Novum Teſtamentum acquirite, non omnia in humeros noſtros devolvite. Multa & vobis committit Paulus, at vos omnia nobis obeunda relinquitis. Theophylactus in Comment. ad Eph. c. 6. tractans illa verba verſ. 4. Patres, educate filios veſtros in diſciplina &c. Si, inquit, vis obedire filios tuos, inſtitue eos divino verbo. Neq; dicas religioſorum eſſe tantūmodo legere ſcripturas, cujᵛ libet Chriſtiani eſt, maximè eorum, qui in mundo verſantur, quanto majore ipſi auxilio indigent, ceu in tempeſtate agentes.

Pontifi-

Pontificii in oppositum arcent auditores, & Laicos à lectione sacrarum literarum. *Praxis Pontif.* Sic enim Johannes Moloranus l. de Pract. Theolog. tract. 3. c. 27. inquit; Salubriter dicimus à lectione scripturarum Laicos arceri, sufficereq; iis, ut ex præscripto Pastorum & Doctorum Ecclesiæ vitæ cursum moderantur. Et Hosius de Dei verbo tom. 1. p. 640. ait: Si Laicis dentur legenda Biblia, perinde esse, ac si sanctum projiciatur canibus, aut margaritæ objiciantur porcis. Et Bellarminus l. 2. verbo Dei c. 15. Prohibetur inquit, ne passim omnibus sine discrimine concedatur ejusmodi lectio, & ne in publico & Communi usu Ecclesiæ, scripturæ legantur, vel canantur linguis vernaculis, ut in concil. Trident. Sess. 22. c. 8. Statuitur, & hac ratione Pontificii inviti forsan à numero Catholicorum excluduntur.

Prophetæ & Apostoli docuerunt, in omnibus necessitatibus recurendum esse ad Deum ipsum, nec orationem convertendam esse ad Ange-

los in cœlis, aut Sanctos prædefunctos, ut vel opitularentur ipsi, vel apud Deum intercessores vel advocati essent. Esa. 26. 16. In angustiis, Domine, quærimus faciem tuam. Esa. 36. 16. Tu Pater noster es, Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos, tu Domine pater Redemptor noster. & 1. Joh. 2. 1. Advocatus optimus & intercessor nobis indicatur: Filioli mei hoc scribo vobis, ut non peccetis, & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum. Lutherani hoc faciunt, & cum iis antiquissimi Catholici V. T. fecerunt, qui calamitatibus oppressi ad solum Deum confugiebant.

*Praxis Luth. & V. T. antiquiss. Catholici.*

Josaphat calamitatum labyrinthis quasi involutus, Deum invocabat, cum ignoramus inquit, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te 2. Par. 20. 5. David solus in quot, quantisq; tribulationibus fuit, sive ex persecutione hostium, sive ex grandibus peccatis suis, ad neminem, nisi orationem ad Solum Deum direxit. ψ. 3. 5. Vo-

3.5. Voce meâ ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo. ℣. 5. 6. Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes Belial conturbaverunt me &c. In tribulatione hac invocavi Dominum &c. Ps. 4. 7.

Quin imo & Patres: August. de vera Religione c. 55. librum concludens, inquit, Hortor vos omnes homines chariss. & proximi mei, meq; ipsum hortor vobiscum &c. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerunt, non sic habentur ut tales quærant honores; Sed illum coli à nobis volunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse conservos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem. Si autem malè vixerunt, ubi cunq; sunt, non sunt colendi. Athanasius Orat 3. contra Arrianũ, tõ. 1. fol. 20.4. Si ideo, inquit, quia gloria sublimior est (Christus) adoratur, par erat, ut omnia inferiora superioribus se in adorando inclinarent, sed id ita non est. Creatura siquidem creaturam non adorat, sed

*Consensus Patrum.*

servus Dominum, & Creatura Deum.

*Alexander Alensis de causis orandi Sanctos*

Pontificii veluti novatores, & eversores, Angelos & Sanctos qui in cœlo sunt invocandos censent. Alexander Alensis Scholasticorum primus, & vetustissimus dicit; Sanctos adorandos esse propter tres causas. 1.

*Prima.*

Propter nostram inopiam, quam habemus in merendo, ut ubi nostra non suppetunt merita, patrocinentur aliena, 2. Propter inopiam, quam habemus in contemplando, ut, qui non possumus summam lucem aspicere in se, saltem in sanctis aspicere valeamus. 3. Propter inopiam, quam habem⁹ in amando, quia orationis effectus dependet ex devotione, & plerumq; imperfectus homo magis sentit se affici circa sanctos, quam circa Deum.

*Secunda*

II. Orandos dicit Sanctos propter ipsorum gloriam, ut dum per eorum suffragia, quod petimus impetramus, ipsosq; magnificemus & glorificando collaudemus.

III. Pro-

III. Propter Dei reverentiam, ut peccato, qui Deum offendit, quasi non audeat ipsum, in propria persona adire, recurrat ad sanctos, eorum patrocinia implorando. Tertia

Comprobat hoc & confirmat Decretum Tridentinum; statuit enim bonum & utile esse, sanctos simpliciter invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Christum ad eorum orationes, opem, auxiliumq; confugere. Et eos damnat, qui negant invocationem sanctorum, ut pro nobis etiam singulis orent. Quinimo eo impudentiæ processerunt Pontificii, ut totum Psalterium Davidicum, quo Deus invocatur, ad B. Mariam transferre non erubescant, pro voce Dei, Mariæ nomine substituto.

Ita orationes instituunt, Sancta Maria succurre miseris, Iuva pusillanimos, refice flebiles, sentiant omnes tuum levamen, quicuncq; celebrant tuam commemorationem. Ps. 51. ita vertunt: Miserere mei Domina, secundum magnam misericordiam tuam,

am, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates meas. Cur autem Mariam invocent se prægnantes causas habere dicunt.

Pater enim cœlestis dimidium regni sui, dedit beatissimæ Virgini cœlorum Reginæ: ut Rex Ahasverus Esther dimidium Regni pollicitus est. Et cum Pater cœlestis Iustitia sibi retenta misericordiam exercendam virgini matri concesserit, inde inferunt à foro Iustitiæ Dei appellandum esse ad forum misericordiæ matris ejus: Sed cum hæc omnia doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ non consona, & apud antiquissimos Catholicos tam V. T. quam N. T. inaudita, imò dictu horribilia sint, quis Pontificios in classem Catholicorum referendos esse statuet?

Prophetæ & Apostoli docuerunt imagines non esse colendas, nec illis mediantibus colendum esse Deum. Juxta Exod. 20, 4. Lev. 26. 1. Deut. 5, 8. Paulus 1. Cor. 10, 14. Qua pro-

propter, inquit, dilecti mei fugite ab idolatria. 2. Cor. 6, 16. quæ consensio templo Dei cum simulachris. 1. Joh. 5. ult. Filioli cavete vobis ab idolis. Hanc Doctrinam fovent, profitentur Lutherani, & cum iis antiquissimi Catholici V. T. professi sunt, imagines & simulachra, statuas nunquam colendo, adorando, omnem cultum & adorationem simulachrorum idololatriæ arguendo. Patriarcha Jacob domesticos adhortans de simulachris auferendis, auferte, inquit, Deos alienos Gen. 35, 2. Prophetа Samuel ad populum Israëliticum: Si, inquit, toto corde revertimini ad Deum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth. 1. Sam. 7, 3.

Ipsi Patres ab adoratione imaginum abhorruerunt. Lactantius; nihil colendum, inquit, quod oculis mortalium cernitur. August. l. 1. d. mor. Eccles. c. 34. numerat inter malos Ecclesiæ, vel potius hominum aliquorum in Ecclesia mores, adora-

re

re picturas.. De origine sic scribit Cassander in consult, Quantum veteres initio Ecclesiæ ab omni veneratione abhorruerunt, declarat unus Origenes adversus Celsum. Allatum fuerat à Celso dictum Heracliti, quo ille indicabat, stultè facere eos, qui simulacris preces offerunt nisi norint Deos, & Heroas quinam sint. Respondet Origines, sciri posse Deum & ipsius unigenitum, & eos quicuncquè â Deo honorantur Deorū appellatione, Deitatis ejus participes esse, diversos esse à Diis gentium, qui sunt Dæmonia : Impossibile tamen esse, ut qui Deum novit fiat supplex statuis, nec hoc tantum Stultum esse, si quis preces simulachris offerat, sed etjam cum id aliquis simulat, vulgi opinionibus se attemperans.

*Praxis Pontif.* Pontificii adorationem & cultum imaginum approbant Bellarm. universalis Pontificiorum Doctor lib. 2. de imag. cap. 21. Imagines Christi, inquit, & sanctorum sunt venerandæ (colendæ, adorandæ, his vocibus promiscue utitur) non solum per accidens

vel

vel impropriè, sed etiam perse & propriè, ita ut ipsæ terminent veneration-nem, ut in se considerantur & non solum ut vicem gerunt exemplaris. Thomas & alii Scholastici cum Bellarmino consentiunt.

Supervacaneum esse duco allegare Authores, cum undiq; Pontificia praxis id doceat, quod Sanctorum imagines colant, adorent, corã illis procumbant, capita aperiant, ad excitandam devotionem erga illas, eas exornent, imò & coram imaginibus scabella habeant, in quæ devoti adoratores imaginum procumbere, imagines intueri & oscularipossint, cujus generis scabella coram imaginibus saltem Coloniæ multa cernuntur, etiam in Publicis plateis & areis. Proh pudor! in tanta scripturarum luce, & imaginum tanta vanitate.

*Pontificii prætextus quibus idololatriæ crimen à se removenti, duplex.*

Sed ne Pontificii sibi injuriam à nobis fieri dicant quasi illos falso idololatriæ accusemus, audiamus quosnam prætextus obtendant, quibus crimen idololatriæ, à se longissimè remotum

1. tumibunt. 1. Discrimen faciunt inter idolum & simulachrum & dicunt idola in sacro codice prohiberi, non simulachra, si idolis cultum divinum deferrent, meritò idololatriæ rei fierent. R. Inter hæc nullum aliud est in sese discrimen, nisi quod altera vox latina est, altera græca. Unde scribit Lactantius: Simulachrum derivatum à simulando. Cujus testimonio, seu autoritate si non sunt contenti Plinium legant lib. 43. c. 4. ubi ait. Primum Simulachrum æreum factum esse Cereri ex peculio Spurii Cassii. Hic videmus hunc scriptorem Idolum Cereris simulachrum appellasse. Septuaginta interpretes, Ebraicam vocent per εἴδωλα vertunt: Latinus textus habet Simulachra. Et in plerisq; aliis locis id observandum est, ubi Septuaginta interpretes ponunt εἴδωλα, Latinum Simulachra vertisse. Unde apparet, hanc vanam & ridiculam distinctionem illos idololatriæ reatu liberare non posse.

*Discrimen inter idolum & Simulachrum.*

2. Ido-

2. Idololatriam ſuam excuſant dicendo, Imagines non niſi relativè, ut dici ſolet, honorari, & honorem, qui ipſis datur, ad prototypum referri, & non ipſas ſecundum ſe, ſed in illis, ac per illas prototypum honorari. &. Iudæi vitulum Aaronicum non colebant, quia vel aureus erat, vel figuram vituli habebat, ſed quatenus eſſe debebat repræſentativus veri Dei: Sicut inquiunt Exod. 32. 4. Hi ſunt Dii tui, qui eduxerunt te ex Egypto & verſ. 5. in proclamatione feſti inquiunt: Cras eſt ſolennitas Domini; quibus verbis clarè indicatur, quod eum cultum vituli inſtituerint & intenderint in honorem veri Dei, cujus memoriale eſſet ille vitulus. Et tamen in ſto intuitu non obſtante idololatriæ graviſſimæ accuſatæ ſunt, ut Exod. 32. 7. & ſeqq. patet. Eodem modo, quando Judæi adorabant Baal, non adorabant ligum & lapidem in ſe, ſed eum cultum intendebant in honorem Dei & tamen interpretativè & per æquiparationem in oculis Dei revera adorabant lignum & lapidem, & erant revera Idololatræ. 2. *Prætextus eſt imaginum relativæ conſideratio.*

Præterea prætextus Pontificiorum à Patribus, quos Scripturæ anteponunt, refutantur. Lactantius lib. 2. cap. 2. Omnes idolorum prætextus, quibus Pontificii imagines pingunt, recitat, & confutat. Non ipſa, inquiunt, ſimulachra timemus, ſed eos, ad quorum imaginem facta, & quorum nominibus conſecrata ſunt. Nempe ideò timetis, inquit, quod eos in cœlo eſſe arbitra- *Refutatur à Patribus.*

mini. Cur igitur oculos in cœlum non tollitis? Cur ad parietes & ligna, & lapides potius quam illo spectatis, ubi eos esse creditis? Quid sibi simulachra volunt, quæ aut mortuorum aut viventium monumenta sunt; Nam omninò fingendarum similitudinum ratio id circò ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerunt separati. Deos igitur, in quorum numero reponemus? Si in mortuorum, quis tam stultus ut colat? Si in absentium? colendi ergo non sunt, si nec vident, quæ facimus, nec adiunt, quæ precamur. Si autem Dii absentes esse non possunt, quoniam divini sunt, in quacunq; mundi parte fuerint, vident & audiunt universa. Refutantur satis prolixe etiam ab Augustino lib. 3. cap. 7. de Doctrina Christiana.

*Prætext Pontif. conbeniunt cum Ethnicorum prætex.*

Si his prætextibus Pontificii possunt aliquid obtinere, seq; idololatris eximere, etiam Ethnici Idololatriæ non essent accusandi. Illis enim simulachra non fuerunt pro Deo ipso, sed relata fuerunt ad suum Prototypum, & tamen à Patribus Idololatræ habiti sunt, licet simulachra propter aliud coluerint. Arnobius libro sexto scribit, gentes docuisse adorandas statuas, non quod æs, aurum, argentum, & similes statuarum materiæ Dii sint, sed quod Deorum, qui aliàs invisibiles sunt præsentia per simulacra exhibeatur, & quod iis vel Dii vel virtutes Divinæ in habitent,

habitent, seu quod per ea Dii invisibiles honorentur, & colantur propter dedicationem.

Proinde Pontificii Scipione arundineo nituntur, prætendendo, se simulachra per se non colere, sed sub intuitu prototypi. Si nolunt esse idololatræ, desinant imaginem colere: vel adorare. Cum primum enim colitur & adoratur, ex lingo & lapide, colenti & adoranti fit Deus. Juxta sensum Patrum Concilii Francofurtensis in l. Cor. l. 4. c. 10. qui dicunt. Nos imagines in Basilicis positas idola non nuncupamus, sed ne idola nuncupentur adorare & colere ea recusamus.

Prophetarum & Apostolorum doctrina fuit hominem non justificari apud Deum per bona opera, quæ fecit, nec per Justitiam propriam inhærentem; Sed Justitia Jesu Christi, quam sola fide viva in Christum apprehendit, accipit & sibi applicat. Rom. 3. 20. Ex operibus legis nulla caro justificabitur in conspectu ejus & vers. 28. Collegimus igitur fide justificari hominem absq; operibus legis. Gal. 2, 16. Scientes non Justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi & non ex operibus legis, propterea quod non justificabitur ex operibus legis ulla caro. Eph. 2. 9. Tit. 3. 5. nec hoc Lutherani negant, nec cum iis Orthodoxi Patres. *Praxis Luth.*

Ambrosius, non Justificamur operibus, sed fide, quoniam carnelis infirmitas operibus impedimento est: Sed fidei claritas factorũ obumbrat errorem, quæ meretur veniam delictorum & lib. 2. de vocatione gentium c. 8. ait. Qui gratiam Dei secundum merita hominum dari, audet asserere, contra fidem Cătholicam prædicat. Hieronymus contra Palagianos lib. 1. cap. 3 Tunc ergo justi sumus, inquit, quando nos peccatores fatemur, nostra Justititia non ex merito nostro sed ex Dei consistit misericordia, non in hominis merito, sed in Dei gratia.,

Si igitur non Justificamur apud Deum bonis operibus, tunc nec propter Justitiam nostram inhærentem. Qui Iudicium Dei non invenit in nobis in hac vita, ne in renatis quidem talem tam perfectam, & tam puram Justitiam in hærentem, qua ita possimus coram Deo consistere, ut propter illam justificemur ad vitam æternam. Hoc Pighius fateri cogitur, qui licet alias doctrinam nostrarum Ecclesiarum acerbissimè insectetur, tamen ingenuè agnoscit, ne renatorum quidem inhærentem Justitiam posse in Judicio Dei consistere, ut propter illam hæredes vitæ æternæ fiant. Habemus etiam suffragium Paulinum: Quæ, inquit, mihi erant lucra, ea duxi propter Christum damna esse. Quinimo certè duco omnia damnum esse propter eminentiam notitiæ Christi Jesu Domini mei, ut & inveniar in illo non habens meam Justitiam, qvæ ex lege est, Sed illam quæ ex fide est Christi. Ideo

Ideo fixum & immotum manet, nec in natura nec in vita, nec in qualitatibus, habitibus, aut operibus hominum in hac vita, sive sint Judæi sive Ethnici, sive renati, sive sint non renati, esse & hærere illud quo, in judicio Dei ita possunt constitere, ut propter illud Justificentur ad vitam æternam.

Pontificii ἀντιφατικῶς statuunt. 1. Negando hominem Justificari Justitia imputativa, sed inhærente Bellarm. lib. 1. de Just. c. 2. p. 937. Causa inquit, formalis intrinseca Justificationis est ipse habitus gratiæ, sive charitatis infusus: Causa formalis extrinseca est ipsa Justitia Christi: Et paulo plenius mentem suam explicat lib. 2. de Iustif. c. 2. p. 1033. Si, inquiens, causam formalem inspicias, statuimus nos justificari propter novitatem nobis inhærentem, non propter meritum, quod in hærere non potest. Si vero causam meritoriam dicimus nos justificari propter meritum Fili Dei, non propter novitatem in nobis hærentem, Et cap. 3. sic scribit: Dissentimus de modo, quo fides Iustificat. Ipsi (Lutherani) contendunt fidem nullius esse pretii & meriti & solum relativè Iustificare: Nos asserimus, fidem etiam à Charitate disjunctam alicujus esse pretii, & vim habere Justificandi per modum dispositionis. *Pontificiorum ἀντιφατικῶς.*

2. Affirmando, renatos suis operibus vere promereri non tantum spiritualia & corporalia præmia, sed etiam ipsam vitam æternam, quæ tan-

tanquam merces bonis renatorum operibus & meritis reddenda sit. Lindanus dicit, bona opera esse peccatorum prius admissorum expiationes & propitiationes. Petrus à Soto Pontificiorum, inquit, sensus est, bonis operibus, quæ ex gratia fiunt, ita esse fidendum, ut ad expianda peccata, iram Dei placandam & vitam æternam consequendam necessaria & utilia sint. Hæc statuta Jesuitica si referantur ad ea, quæ supra ex scriptura demostrata sunt, luce meridiana clarius erit. Pontificios non solum à scriptura Prophetica et Apostolica longè discedere, & meritum Christi extenuare, vel potius in nihilum redigere, sed etiam Catholicos minime nominari, ne dicam esse, posse.

*Pontificiorũ. παραλογισμὸς.*

Sed audiamus παραλογισμὸς sine cavillationes Pontificiorum, quibus dictaScripturæ hominem non operibus, sed fide Iustificari, asserentia sugillant. Dicunt enim sacras literas, quoties operibus vim Justificandi adimunt, id solum facere quoad ceremonias Veteris legis, non tamen quoad opera Iusta ac recta, quæ ab illis vulgo moralia vocantur. Quinimo Paulum ipsum per opera legis intelligere tantum ceremonias Mosaicas, & illas hoc modo excludere à Justificatione: Quia Judæi tunc temporis illam persuasionem induxerant, se coram Deo Iustos esse, si statuta circumcisionis, festorum, Sacrificiorum, ciborum & reliquarum ceremoniarum, quasi ex opere operato, sine interioribus verè Spiritualibus

bus motibus observarent. Hanc, inquam, tantum ceremonialem Iustitiam dicunt à Paulo excludi ab Articulo Iustificationis: ut sensus sit nobis in N. T. non opus esse illa ceremoniali, justitia, sed sine lege ceremoniali, & sine operibus ceremonialibus nos Iustificari.

Resp. 1. Licet multa dicantur ab hoc Apostolo, quæ cum ritus tum ceremonias legis videntur spectare, plurima tamen alia disputando scribit, quibus non tantum de ceremoniis verum etiam de ipsis aliis legibus Justitiæ ac moralibus loqui se monstrat; imò prorsus de his, quæ ad mores, & at ipsum decalogum pertinent. Rom. 1. arguens gentes, quodabsq; fide Christi non essent Iustificatæ, ponit illis ob oculos opera, scilicet idololatriam, libidines, & benè longum ad finem usq; capitis texit Catalogum vitiorum, quibus laborant, nilq; de Mosaicis loquitur ceremoniis: Unde cum illa, quæ commemorato Decalogo, legi morali ad versentur, deiis intelligendum esse vult, quod scribit Rom. 3, 2. manifestius & enuncleatius tractat, inquiens: Non est Justus quisquam, non est intelligens, aut requirens Deum, omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nec unus quidem. Hæc ut videmus, sunt ejusdem generis, atq; ad mores attinent. Quod si de ceremonialibus legibus tantum loqui voluisset Apostolus, hæc non movisset.

Resp. ad παρεγλογιϛμὸς est duplex.

2. Resp talem proponendo sylogismum: Per quam legem agnitio peccati Rom. 3, 20. quæ lex iram operatur, Rom. 4. 15. quæ habet additum fulmen divinæ maledictionis Gal. 3. 10. ea lex, & ejus legis opera circulo justificationis excluduntur, ad ea lex non tan um est ceremonialis, sed quoq; imprimis moralis. tErgo lex moralis & ejus legis opera circulo justificationis excluduntur.

*Major* probatur quia lex neminem Iustificat, per quam agnoscimus peccatum, sed potius accusat: Lex iram

iram operatur, multo minus Iustificat, Minor probatur, quod nempe lex moralis accusat, Exod. 20. Proinde nihil est, quod Pontificii adulterina explicatione dicta scripturæ depravantes errorem suum defensum eant.

Conclusio. Et sic hactenus veros Catholicos vivis coloribus depinximus penicillo doctrinæ Prophetarum, Apostolorum & Antiquissimorum tam V. quam N.T. Catholicorum: æstimando illos authenticè Catholicos, qui neglectis traditionibus humanis sacram scripturam pro totali canone, seu regula fidei, & bonorũ operum agnoscunt: Qui neminem cujuscũq; ordinis sit, à lectione Biblica arcent; Qui Sanctos in cœlo viventes precibus suis non compellant de intercessione apud Deũ, sed immediatè in omnibus necessitatibus suis magnis & multis Deum ipsum invocant: Qui nunquam simulachra adorant, pro statuis ac picturis procumbunt, sed omnem simulachrorum cultum, & adorationem, tanquam idololatricum damnant: Qui sola fide in Christum, non bonis operibus, sive ceremonialibus, sive moralibus se Justificari credunt. Hi sunt colores primarii, licet non omnes, quibus verus Catholicus depingitur & exprimitur; Quam diu quis his coloribus tinctus incedit, tamdiu Catholicus & esse & dicit potest.

VOTUM.

PEctoris è thalamo rogo te dulcissime Jesu,
Non sinito vanas supplicis esse preces.
Protege nos tinctos servato coloribus hisce
Turba quibus tincta est obsequiosa Dei
Da media ut rursum coëant in fœdera Reges,
Et pax inter eos sit, maneatq; redux.
Ut passim purè spargentur dogmata sacra
Atq; suas exul incolat ipse domus.
Tunc tibi vivifico, cum Patre & Flamine Sancto
Fundemus cuncti carmina grata Deo.

FINIS.


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0231
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0232
DFG

Ideo fixum & i
tura nec in vita, nec i
operibus hominum i
veEthnici, sive renati,
rere illud quo, in judi
re, ut propter illud J
nam.

Pontificii ἀντι
do hominem Justific
inhærente Bellarm.
Causa inquit, forma
est ipse habitus grati
Causa formalis extri
sti: Et paulo plenius
2. de Iustif. c. 2. p.
formalem inspicias,
pter novitatem nob
meritum, quod in h
causam meritoriam
pter meritum Fili D
in nobis hærentem,
mus de modo, quo
threrani) contendu
meriti & solum rel
mus, fidem etiam à
esse pretii, & vim ha
dispositionis.

2. Affirmando
promereri non tan
præmia, sed etiam ip

,nec in na
ibitibus, aut
int Judæi li-
ati, esse & hes
int consiste
vitam æter-

.1. Negan-
ntativa, sed
2. p. 917.
stificationis
tis infusus:
ustitia Chri-
explicat lib.
iens, causam
stificari, pro-
non propter
t. Si vero
stificari pro-
novitatem
pit: Dissenti-
Ipsi (Lu-
esse pretii &
Nos asseri-
ctam alicujus
i per modum

peribus vere
& corporalia
ernam, quæ
tan-

Pontificiorum ἀντιφασεις.

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
4.5 5.0 5.6 6.3
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73040398X/phys_0235
DFG